



Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)



TRACTATUS I.

DE
FONTIBUS DOCTRINÆ
MORALIS.

SECTIO I.

DE
FONTIBUS MORALIS CORRUPTÆ.

CAPUT I.

*Tres corruptæ Moralis exhibentur
causæ.*

Primus corruptæ Moralis Christianæ author est mendacii pater, veritatis hostis, hujusce sæculi princeps, diabolus. Quemadmodum ubi primum hominem in innocentiae statu Deus condidit, hanc illi diabolus felicitatem statim invidit, utque hanc illi raperet, suæque miseriæ consortem redderet, illum ad divinum violandum præceptum impulit, ita postquam Spiritus sancti missione Ecclesiam suam Jesus Christus fundaverat, illam evertere, si posset, statim molitus est, quæ a se usurpatum in mundo imperium destruebat. Revelatarum veritatum fidei hoc ædificium nitebatur; has propterea primo labefactare diabolus aggressus est. Apostolorum tempore Simonem Magum, Cerin-
thum,

Tr. I. Sect. I. Cap. I. Corr. Mor. Cause. 7

thum, Ebionemque excitavit, qui Christi negarent Divinitatem; contra quos sanctus Joannes suum scripsit Evangelium. Post hos Valentiniani & Marcionitæ verum Christi corpus, quod e Virgine traxit, destruere conati sunt, ut illi cæleste affingerent. Photiniani & Paulianistæ Christum purum esse hominem docuerunt. Manichæi phantasticum ejus esse corpus putarunt. Ariani consubstantialem Patri negabant. Ejus gratiæ vim ac necessitatem evellere sategerunt Pelagiani; Nestoriani ejus unitatem personæ; Eutyichiani naturarum ejus distinctionem; Monothelitæ distinctionem ejusdem voluntatum. Ecclesiæ Hierarchiam, Sacramentorumque ejus numerum ac vim evertere Lutherani tentarunt. Veram Christi in Eucharistia præsentiam negarunt Calvinistæ. Atque hoc pacto veritatum, quas Christus homines docuit, vix una reperiri potest, quam diabolus labefactare non tentarit hæresibus, quas ab hoc mendacii patre edocti plerique hominum in Ecclesiæ agro serere ac spargere studuerunt.

Præter hoc adversus Christum a diabolo excitatum bellum, aliud quoque contra mysticum ejus Corpus, quod est Ecclesia, molitus est. Donatistarum schismate, quo Africa diu vexata est, ejus unitatem scindere studuit; verum ista divisio vix extra provinciæ hujusce fines egressa est. Ecclesiæ Græcæ schisma postea invexit, quod illam adhuc a catholica Ecclesia separat. Illud diabolo erat reliquum, ut Evangelii disciplinam funditus everteret, atque in hunc scopum conatus ejus omnes collimant. Parum

siquidem molestiæ capit, si universis fidei dogmatibus assentiantur Christiani, dummodo quæ fides facienda docet, agere negligent. Si eam morum corruptionem primum docuisset, quæ impune hodie serpit, tunc facile detegi, & ab omnibus refutari potuisset: Jesu Christi Sanguis in fidelium venis, ut ita dicam, adhuc ebulliebat, & severa nimis disciplina vigeat. Hac igitur severitate initio uti voluit, ut homines falleret: Novatianorum hæresim excitavit, qui divinæ justitiæ zelo Dei misericordiam abrogant, dum peccantibus pœnitentiam denegant; Jovinianum deinde protulit, qui tam Deo caræ virginittatis meritum negaret. Recentiores demum invexit hæreticos, qui morum sanctitatem pefsumdarent; simulantes enim Evangelicam libertatem docere, pœnitentiæ opera quæcunque rejiciunt, Christianamque pietatem in sola in Jesum Christum fide collocant. Verum a Conciliis errores isti damnati sunt, eorumque singulos Catholici omnes detestantur. Reliquum proinde nihil ad suam explendam malitiam illi videbatur, quam ut in agro supra electum triticum zizania spargeret; ut in iis scilicet morum doctrinam corrumpere, qui fidei dogmatibus assentiuntur, illorumque opera ad id negotii uteretur, quorum fides minime esset suspecta.

Donec ad Evangelicam disciplinam corrumpendam manifestis hæreticis usus est, haud valde erat laborandum in impiæ doctrinæ auctoribus refutandis. Quilibet, ajebat, Ecclesiæ sunt isti hostes, aures hisce non accommodemus. *Inimicus homo hoc fecit.* At ubi domesticos fidei hære-

hæreticis suffecit, Doctoresque veritatis seduxit, ac falso illos lumine, bonaque fefellit intentione, qua se agere putabant, dum mollibus, delicatisque fidelibus Evangelicam legem faciliorem reddere student, majus in Ecclesiam malum diaboli odium haud potuit invehere. Imprudentes siquidem contra votum ægris præbuere venenum; duces in foveam suos præcipitarunt assclas; urbis custodes illam hostibus inscii traderunt.

Christianorum hujusce sæculi corrupti mores Ethicæ corruptæ altera est causa (a). Non ea modo

(a) *Erit enim tempus (inquit Apostolus 2. Timoth. 4.) cum sanam doctrinam non sustinebunt; sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus; Et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* In quæ verba P. Mich. Elizalde S. J. celeberr. Theologus ita scribit: *Similes homines libenter audient parvitatem materiæ in re veneræ; complexus, nescio quos, Et oscula, quæ ad delectationes illiciant, licere; occasionem periculossimam his Et illis de causis domi retineri posse. - - - Nam ex una parte peccare, damnarique nollent; ex alia vellent desideria explere sua, pecunias cumulare, non solvere, gaudere, lætari, mundoque frui. Ut itaque ista duo concilient, conscientiamque vel sopiant, vel semisopiant, Et, quantum possunt, se excusent, Et abscondant, magistros quærunt, non qui vera, sed qui a se desiderata doceant. Atque hoc passim experimur: Et si, quod volunt, non respondeamus, alios adeunt, ubi quod volunt, inveniant - - - volunt Magistrorum, se quos invenerant, autoritate se tutos, Et salvos. Atque hoc est, quod modo refellimus, neque magistros ipsos, neque sequentes tutos esse. Part. 1. Lib. 6. q. 6. §. 3.*

modo vivunt fideles innocentia, qua illos & fidei hostes admirari cogebantur; Evangelii rigorem ultra ferre non posse videntur: si veteres Christiani denuo viverent, fratres hos non agnoscerent. Plures atramen pietatis libri nunquam prodire; verum horum pauci Evangelii doctrinam haud solide satis & fideliter fortasse explicant, quin illis humanarum cogitationum fenum, palea, tribulique immisceantur; quæ omnia judicii Dei igne confumentur, ut inquit Apostolus 1. Cor. 2. Neque vero multi admodum numerantur fortasse Concionatores, qui Jesu Christi institutionem satis sint edocti, eamque moribus exprimant, ut Auditoribus suis illam tradant. Sæcularia sua desideria passionesque homines explere volunt, æternaque simul salute potiri cupiunt. Mundum Jesu Christo, quorum æterna erit simulas, conciliare conantur. Libros propterea, Doctoresque se reperire gaudent, qui suas foveant cupiditates, capitique ad dormiendum pulvinaria sternant. Ægros se norunt, sed amariora remedia averfantur, quibus salus paratur. Ajebat sanctus Ambrosius, facilius ætate sua reperiri posse qui acceptam in baptisate innocentiam servarint, quam qui eandem pœnitentia redemerint. Cum Ambrosio sanctus Gregorius Magnus querebatur, velle homines peccati gustare delicias, at pœnitentiæ respuere amaritudinem. Qui illos præcessere, idem sunt questi Patres. Verum ætate illa ita se gerebant ægri, non illos prodebant Medici, neque imprudenti facilitate eorum imbecillitatem, impœnitentiamque fovebant; illorum imo vitia jugiter argue-

arguebant, antiquosque canones sectabantur; & licet veterem Ecclesiæ severitatem, cujus impatientes jam erant homines illius ævi, adamusim non colerent, ab illa tamen turpiter adeo non recedebant.

Corruptionis hujusce illuvies (anni aliquot jam sunt) adeo excrevit, ut illustriorum Regni urbium Parochi, Parisienses, Senonenses, Buiricenses Rotomagenses, Lexovienses, Ebroicenses, Cadurcienses, aliarumque plurium Diœceson supplices libellos suis Episcopis dederint, rogantes ut aliquod tanto malo remedium afferrent. Eminentes aliquot pietate ac doctrina Episcopi Casuistarum damnarunt Apologiam, in qua totum corruptæ Moralis Christianæ venenum erat collectum. Theologica Parisiensis facultas eandem serio more suo damnavit. Hæ autem damnationes quantum habent auctoritatis! Alexander quoque VII. Pontifex illam censuris perculit. Uterius vero adhuc progressus est: erroneas plures propositiones, e recentiorum aliquot Casuistarum libris excerptas proscripsit. In ipso censuræ exordio verbis vere apostolicis declarat, novas, quæ irrepsert, sententias sanctitatem corrumpere, sanctum Evangelii robur infringere, morumque puritatem in fidelibus labefactare. En ipsa ejusdem verba: *Sanctissimus Dominus audivit, non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ Disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas, partim iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis crescere,*
per

per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepfit alienus omnino ab evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina: quam si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens sequutura esset christiane vite corruptela. Quare ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in eternum permanent, arctam esse definiuit, in animarum perniciem dilatari, seu potius perverti contingeret, idem sanctissimus Dominus noster, ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, per quam itur ad perditionem, via pro pastorali sollicitudine in rectam semitam evocaret &c. Quicunque adversus hosce Auctores scripsere, validius nihil neque dixerunt, neque dicere potuerunt. Nihil tamen minus errorum istorum defensores valde asperos dicendi modos, errorisque referros esse clamarunt, quibus in illos scripsere nonnulli stylo profecto minus valido. At non eo temeritatis progressos credo, ut Jesu Christi Vicarium nimii in sua censura rigoris audeant accusare. Nobis igitur sperandum est, Ecclesie Pastoris vigilantia corruptam Moralem quantocycus eliminandam fore, purioremque antiquam suum robur recuperaturam. Tridentina Synodus hæreticos censuris perculit; attamen nimis multi adhuc catholici, imo & Presbyteri reperiuntur, qui dum se Ecclesie Doctores prædicant, suarum legum sanctitatem evertunt, eamque hæreticis invisam reddunt. Hi siquidem licet pœnitentiæ opera abjiciant, minime tamen Dei præcepta respuunt, neque ita illa interpretantur, aut emolliunt, ut sine peccato violari jam possint,

sint, & soli peccent idiotæ, qui suas nesciunt intentiones regere; sicuti recentiores quidam Casuistæ efficere conati sunt, ut in hoc deinceps Opere liquido ostendam.

Tertia corruptæ Moralis Christianæ causa est doctrina illa, quam Casuistarum plerique docent, Auctorem nempe unum, alicujus modo sit auctoritatis, neque pravas opiniones docere solitus, atque probabilem aliquam habeat rationem sententiæ suæ tuendæ, probabilem efficere posse opinionem; atque hanc sequi licere contra cæterorum omnium Auctorum sententiam: licitum quoque esse juxta minus probabilem ac minus tutam sententiam agere, probabiliore ac tutiore neglecta in æternæ salutis negotio; teneri denique Confessarium in pœnitentiæ tribunali pœnitentis sui sententiam sequi, propria posthabita sententia, quamvis illam minus certam veramque putet. Hæc si admittantur principia, Evangelica disciplina everratur; sileant oportet Concilia, sancti Patres, probatique Ecclesiæ Doctores: peccator quilibet facile Casuistam reperiet, qui suas excuset actiones. Si concubinariis exempli causa fæminam, quæcum peccat, domo nolit ejicere, Casuistarum aliquot auctoritate nitetur, qui ad id illum non teneri asserunt, quoties bis terve in mense cum illa peccet, aut illam dimittens, in magna victurus esset mœstitia. Usurarius, qui suas statuit sectari usuras, Auctores illos sequetur, qui sophisticis suis distinctionibus omnem ab usura labem remonent. Si excessus isti dissimulari possent, id facerem libenter; verum illos celare profecto non possum,

sum, mihi que serio, ut eos sistam, allaborandum sanctus Cyprianus diserte monet inquit: *Sed dissimulandi nunc locus non est, quando decipitur fraternitas nostra a quibusdam, qui dum sine ratione restituendæ salutis plausibiles esse cupiunt, magis lapsis obsunt.*

CAPUT II.

Ostenditur, Moralem christianam mutabilibus niti Principiis non posse.

Dei Filius est Christianorum Legislator; & ut inquit sanctus Paulus 2. Cor. I. *non est in illo est & non*; videlicet non est mutationi subiectus, neque modo hoc, modo illud asserit. Legum enim mutatio, quæ fit ab hominibus, aut ab ignorantia, aut ab impotentia, aut a pravis eorum affectibus provenit. Cum casus omnes non prævideant, qui possunt illis accidere, quibus lex data est; cum neque vim neque voluntatem legibus obtemperandi subditis dare possint; cum legem condentes avaritia, aliove vitio agiqueant; nullus propterea admirari jure potest, si legem ejusdem conditor interdum mutare debeat, aut si lege sua mala nonnulla invehat, quæ non prævidit, dum alia curat vitare. Humanarum rerum ea est conditio, ut diu admodum in eodem statu nequeant permanere, siquidem mutationi creatura omnis subiecta est. At Jesus Christus hisce omnibus vitiis caret: corda hominum, quibus legem suam tradit, perfecte novit, eorum quippe dominus est, & quo vult, ea vertit; vim illis tribuit ad ea facienda, quæ præcipit;

cipit; æterna ejus sapientia, infinitaque bonitas illius opera moderatur; æternum suum est & immutabile imperium; æterna quoque & immutabilis lex est, qua illud regit. Hujus regni, inquit sanctus Augustinus, Rex est veritas, lex caritas, duratio æternitas. Ista veritas, istaque caritas nunquam mutantur, nec quemquam fallere possunt.

Quamdiu in mundo fuit, legem suam firmavit verbis & exemplis, quæ infallibilis nostrorum morum essent regula. *Tota vita Christi in terris*, ait sanctus Augustinus, *per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit.* Quando in Cælum rediit, illam ab Apostolis, & Evangelistis, ad id muneris ab eo electis, litteris consignari jussit. Non Angelis, non hominibus licet divinis his litteris aliquid addere, vel detrudere. Ipsos adversus Angelos sanctus Paulus anathema dicit, si fieri posset ut eorum aliquis e Cælo descendens iis contraria prædicaret, quæ ab Evangelistis & Apostolis docti sumus. *Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Galat. 5. Evangelii præcepta, (inquit sanctus Basilius *Regul. brev. resp. & interrogat.* 112.) non mutantur neque temporum lapsu, neque variis humanarum rerum vicissitudinibus, firmaque semper ac immutabilia ita permanent, sicuti e beato, infallibilique ore, quod illa edixit, prodierunt: homines vero nubibus æquiparantur, quæ huc illuc ab aere, ventisque circumferuntur.

Tres

Tres habemus leges, naturalem, scriptam, evangelicam. Lex naturalis suam semper vim obtinet, neque ulla in ejusdem præceptis mutatio potest contingere, immutabilia siquidem sunt ejusdem axiomata. Hoc nempe, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: homines quoscunque sæculis omnibus obstringet absque ætatis, conditionisve differentia, neque unquam licebit, quod lex ista condemnat.

Legis Mosaicæ præcepta, quamdiu illa substitit, immutabilia & invariabilia fuere: pro nullo Hebræo distinctio admittebatur, aut exceptio; ad litteram erat illa observanda, quicumque vero illam violasset, absque ulla indulgentia morte mulctabatur. Hanc ideo sanctus Paulus legem mortis appellat 2. Cor. 3. erat siquidem *ministratio mortis*. Traditionibus vero suis hujusce legis præcepta Pharisæi corruerunt, sicuti sæpe illis Jesus Christus exprobrat: *Quare & vos transgredimini mandata Dei propter traditionem vestram?* Matth. 15. Quid in Decalogo est apertius, quam honor & subsidium parentibus debitum? *Honora patrem tuum & matrem tuam*. Hujusce tamen præcepti infirmam viam invenerunt Pharisæi, vorum scilicet quod a filiis fieri petebant, substantias suas omnes Templo dicandi, ut ibidem illis Dei Filius objicit: *vos autem dicitis, quicumque dixerit patri, vel matri: Munus quodcumque est ex me, tibi proderit*. A parentibus in necessitate juvandis filios eximebant, illosque hoc pacto Dei mandatum violare cogebant: *irritum fecistis mandatum Dei*. Ad Christum usque, qui ipse erat

finis,

finis, hæc lex permansit: *finis legis Christus.* Cæremonialia ejus & politica præcepta sunt abolita, solus viget Decalogus, qui ad legem naturalem pertinet.

A Mosaica lege Evangelium nos exemit; Evangelique lex non modo ad mundi usque finem durabit, sed æternam fore fidenter assero: cum enim tota in caritate sita sit; fide, speque abolitis, caritas permanebit: *Caritas*, inquit Apostolus, *nunquam excidit.* Caritate jugiter agi in hac vita deberemus; sed hic imminuitur motus a concupiscentia, quæ in nobis perseverat, & a morte dumtaxat destruetur. Beatorum corda in Cælo sola caritas implebit, Deumque ipsi perfecte non diligere nequibunt. Si recentiorum plurium Casuistarum conclusiones perpendantur, illarum plures ab hac caritate dissidere invenimus, effrænemque hominis cupiditatem fovere, cui obtemperare nunquam licet; quidquid enim ex prava cupiditate fit, naturali hominum legi, Dei & Evangelii præceptis adversatur (a).

CAPUT

(a) Inter Propositiones, hujusmodi arundineis Casuistis familiares, Universitas Parisiensis, ac plerique Gallix Episcopi etiam hanc confixerunt: *Homo non est suarum opinionum mancipium, ideoque probabiles quasvis sententias potest ad libitum mutare; puta, in materia morum.*

Godsau Theol. Mor. Pars I.

B

CAPUT III.

Demonstratur opinativam probabilitatem christianarum actionum Regulam non esse.

Recentiorum Casuistarum plerique Evangelicæ legis loco statuerunt legem probabilitatis opinionum, quam tuta conscientia sequi liberum esse docent. Isthæc vera est corruptæ Moralis Christianæ origo; etenim si doctrina hæc prævalet, taceat Evangelium oportet, ut diximus, nihilque certi in morum scientia reliquum erit. Quapropter illam mihi pro virili confutandam esse arbitror, atque hinc Moralis Christianæ tractandæ initium sumere. Antequam tamen ad hanc doctrinam examinandam accedo, nonnulla sunt perpendenda.

Primo itaque ajo, si opiniones absolute in seipsis spectentur, veræ illæ sunt aut falsæ, neque harum ullæ sunt probabiles; falsum enim probabile esse non potest, & verum probabilitatem superat; cum sit certum. Si vero hæc ad nostrum comparentur intellectum, aliquarum veritatem aut falsitatem cognoscemus, nonnullarum autem neque veritas neque falsitas perfecte innotescet; quod quidem ab hominum oritur ignorantia. Verumtamen Deo aut veræ sunt aut falsæ, quales enim in seipsis sint, ille cognoscit. *Varietas opinionum, inquit Tertullianus, venit ex ignorantia veritatis.* Quare, ut proprie loquamur, nihil est in Ethica pure probabile; sententia quælibet in se vera est aut falsa, quamvis earum veritas & falsitas non æque ab omnibus agno-

agnoscatur. Hinc nonnulla, quæ rudioris ingenii hominibus sunt probabilia, hominibus ingenii acutioris vera sunt aut falsa: quod si sufficiens cunctis adesset lumen, veritatem falsitatemve statim agnoscerent: sed ut superbas hominum mentes Deus deprimat, lumen hoc neque semper, neque omnibus concedit. Fateor igitur probabiles existere opiniones, licitumque interdum esse illas sequi; sed harum opinionum pleræque speculativæ sunt, non practicæ, ita ut vere probabiles opiniones pauciores sint, quam recentiorum Casuistarum censent plerique, qui de omni fere quæstione problematice disputant. Illicitam hi actionem quamdam pronunciant, licitam alii eandem esse contendunt: idem quoque Auctor sæpe mutat sententiam, affirmativæ modo adhæret, modo negativam tuerur. Una est veritas, quæ sententias nunquam mutat, aut verba. *Hæc est veritatis integritas, & quæ ei debetur disciplinæ plenitudo, & æqualitas timoris, & fides obsequii, non mutare sententiam, non variare iudicium. (Tert. de Spectac. c. 20.)*

Fateor insuper probabiles existere opiniones, quas sequi licet; sed iste neque tam multæ sunt, neque illius naturæ, cujus iidem Casuistæ esse arbitrantur. De speculativis quotidie in scholis disputatur, harumque utramlibet sequi licet, quin attente admodum examinetur, utra sit probabilior. Non idem de practicis opinionibus ferendum est iudicium, ut Christianorum vita recte instituat. Probabiles sequi licitum affirmo, quando nostra officia illæ adjuvant, quando

conscientiæ nostræ consulunt, & quando certitudinem moralem efficiunt. Non igitur probabilitas, sed certitudo moralis reflexe suborta actionem cohonestat, & agentem a temeritate excusatur. An & qualem probabilitatem moralis isthæc certitudo sequatur, ex dicendis palam fiet.

Secundo animadvertere oportet, eam opinionem *tutam* esse, quæ a periculo peccandi removet; *tutiorem*, quæ magis removet; *minus tutam*, quæ minus removet. Illa autem opinio censetur *magis* ab ejusmodi periculo *removere*, quæ legem asserit, ejusque observantiam urget; *minus removere*, vel omnino non removere (a), quæ legem negat, hominisque libertati favet. Securitas itaque a probabilitate caute est distinguenda. Opinio quæ tutior, non eo ipso probabilior; & econtra. Exempli gratia, tutius ad salutem est homini, qui sibi necessaria aliunde habet, pauperibus pecuniam suam elargiri, quam censum ex illa constituere, quem contractum veteres quidam Doctores usurarium putant; attamen probabilius est hosce contractus iniri posse, dummodo præscriptæ in iis regulæ serventur.

Ter-

(a) Duplici adhuc sensu quædam opinio *minus tuta* dicitur. 1mo *comparative*, i. e. minus tuta, quam altera, qua cum hic & nunc comparatur: 2do *adversative*, i. e. omnino non tuta; eoquod principia ejus tam directa, quam reflexa prudens seu certum de honestate dictamen progignere in intellectu nequeant. Non priore, sed posteriore sensu opinio minus probabilis in conspectu probabilioris *minus tuta* apud Probabilioristas audit.

Tertio sciendum quid sit probabilitas; fir-
mius enim disputationis fundamentum est rei,
qua de agitur, vera definitio. Casuistæ, qui
probabilitatis doctrinam primi ediderunt, ita il-
lam definiunt: Probabilis opinio illa est, quæ
rationabili nititur fundamento, sed non omnino
certo. Illud autem juxta illos rationabile est fun-
damentum, quod, licet non absque erroris me-
tu, hominis prudentis, qui agere vult consen-
sum trahat, illum tamen ad hunc consensum
præstandum inclinât; quem dum præstat, sapien-
tes cuncti judicant prudenter ab illo præstari.
Definitio hæc, licet admittatur, probabilitatis ta-
men Patronos nequidquam juvat. Nam nega-
mus consensum hunc prudenter præstitum, &
prudenter agi, dum opinio eligitur minus pro-
babilis, Dei legi minus conformis, ad obti-
nendam salutem minus tuta, & illa deseritur,
quæ præcepto magis est consentanea, & ad sa-
lutem tutior. Casuistarum nonnulli ajunt non
modo opinionem esse probabilem, quando ejus-
dem auctor veram eam esse dicit, & probabili-
ratione firmat; sed probabilem quoque esse, li-
cet neque Doctor qui eam profert, neque alius
quispiam veram asserat; doctrina siquidem, quam
nemo unquam probavit, vel rejecit, lectorum
forte sibi consentientem reperiet. Isti præterea
Casuistæ docent, quamvis opinio illa a cunctis
Doctoribus expresse rejiciatur; nihilo tamen
minus, si quis viderit rationem, qua illa nititur,
non satis infringi, opinionem adhuc probabilem
censeri posse. Alii rursus ita illam definiunt: Opi-
nio probabilis est assensus intellectus in propo-

sitionem, quæ rationi, aut gravi auctoritati innititur, quamvis timor aliquis superfit, ne vera sit contraria opinio. Hinc probabilior opinio illa est, quæ graviori nititur fundamento, minus vero probabilis, cujus minus grave est fundamentum; & quæ ideo ad falsitatem magis quam ad veritatem videtur accedere, & quam revera falsam potius quam veram arbitramur.

Quarto juxta recentiores Casuistas, ut opinio probabilis censeatur, contradictoriam probabilem quoque esse oportet. Antiqui vero Theologi nullam censuere probabilem opinionem, quæ non ab iis, qui sanum de rebus judicium ferunt, probari mereretur; adeo ut omnis minus probabilis opinio, cum sibi contradictorie opposita comparata, vere probabilis, seu digna approbatione esse desineret (a).

Præcipuis quatuor axiomatibus doctrinam suam omnem probabilitatis Auctores confirmant, quæ si breviter & clare pro virili examinavero, operæ pretium fecisse videbor.

Pri-

(a) Celebris est probabilitatis in *extrinsecam*, & *intrinsecam* divisio. Hæc ex momentis petitur Scripturarum, Patrum, Conciliorum, & Rationum, quibus opinio aliqua roborari videtur: illa *extrinseca* ex suffragio seu assensu gravium Auctorum opinioni accrescit. Quodsi opinio quædam *absolute* in se spectata gravibus auctoritatis & rationum fundamentis nitatur, *objective* probabilis: si in *certis circumstantiis* considerata, etiam ut talis inventa fuerit, *subjective* probabilis dicenda erit. Non raro contingit, ut opinio, quæ probabilitate *objectiva* pollet, a *subjectiva* deficiat.

Primum axioma est, quoties variae circa aliquam quaestionem probabiles adfunt opiniones, & veritum aliquid a nonnullis Auctoribus dicitur, ab aliis vero permissum, licet ex duabus hisce opinionibus alteram falsam esse oporteat, utramlibet tamen aequè tutam esse ad salutem, sive ea vera sit, sive falsa, *ut quaecunque duarum viarum, imo diversarum, homines inierint, recta tendant ad superos.*

Alterum axioma, quod ex primo proficiscitur, est, opinionem eligi posse minus probabilem minusque tutam, tutiore & probabiliore relicta. Quare si quando dubitemus, an aliqua actio peccatum sit necne, quamvis opinio asserens hanc esse peccatum, probabilior nobis videatur, & in eam intellectus propendeat; licitum tamen est ac tutum, actionem illam peragere, quam probabilius malam, & minus probabiliter bonam esse arbitramur.

Tertium axioma est, opinionem eam esse probabilem, quae rationi validae, aut gravi auctoritati innititur; minimeque requiri, ut haec duae conditiones simul adsint, cum alterutra sufficiat. (*Caramuel n. 137.*) Intrinsecam primam probabilitatem appellant, alteram extrinsecam.

Quartum axioma est, probabilem esse opinionem, & absque metu sequendam, si a gravibus quatuor Auctoribus doceatur: addunt plerique, unius tantum Doctores auctoritatem sufficere. Caramuel hoc axioma obstinate tuetur, exemplumque affert Casuistae cujusdam docentis, Religioso licere illum interficere, qui sui Ordinis

honorem calumniis inquinat. Ait præterea mala, quæ in Rempublicam ex opinione quadam derivari possunt, neque minus tutam reddere eandem posse; leges vero civiles, aut ecclesiasticas novis objici non posse Casuistarum opinionibus, quia cum sint hæ legibus posteriores, ab illis legibus damnari non potuerunt.

Duas insuper Auctor iste conclusiones statuit, quæ cunctos complectuntur errores, quibus hoc in negotio peccari potest. Prima hæc est, *opiniones omnes probabiles æque esse tutas*. Altera vero, *quamvis benigniores opiniones sint sæpe per accidens minus probabiles, illas tamen esse magis utiles magisque tutas*. Hinc summis Dianam extollit laudibus, quia nempe plerasque ille opiniones probabiles reddiderit, licitumque propterea sit ex ejusdem auctoritate illas deinceps sequi: illum idcirco appellat *Agnum Dei*, qui tollit peccata mundi. Si non enormis hæc est blasphemia, quæ demum erit? Eandem sententiam Casuista alter tuetur, audetque insuper docere, in mortis articulo nullatenus illum peccare, qui probabilem opinionem sequatur, licet probabiliorem magisque communem deserat; imo etiam si hæc probabilitas, sive extrinseca, sive intrinseca, foret levissima, quia videlicet sufficit ut probabilitatis terminos non egrediatur. (*Sanchez in Decal. l. 10. c. 9. n. 6.*) Addit alius, licere minus probabilem opinionem sequi, quæcumque demum adsint rationes, quæ contrariam probabiliorem esse suadeant, & quamvis revera probabiliorem hanc arbitremur; rationes enim, quas

quas nos refutare nescimus, ab aliis acutioris ingenii infringendas fore possumus, ac debemus judicare. Nihil ultra addendum superest, cum, si Auctoribus istis assentiamur, conscientiae suae dictamen sequi jam non oporteat.

Si in veterum Ecclesiae Conciliorum aliquo lecta fuissent haec axiomata singulos sibi aures, ne illa audirent, obturasse crediderim, sicuti in Nicææ Concilio fecerunt Episcopi, cum Arii libri legerentur, ille praecipue cui *Thalia* nomen, detestabilibus impietatibus scatens. Etenim possuntne aures christianæ, veritatibus Evangelii affuetæ, tam horribiles propositiones patienter audire? Non ne cunctis non modo christianæ religionis institutionibus & Ecclesiae disciplinae sunt adversæ, verum etiam Regnis perniciosæ, vitæ Principum, magistratuum, ac privati cujuscunque hominis, qui in hominum societate vivat, periculosa? Id nos singillatim in Operis hujusce decursu prosequemur.

C A P U T IV.

Unus, vel pauci Recentiores Opinionem probabilem satis non reddunt.

Ut errorum summam conglobarent probabilitatis Magistri docuere, Auctoris unius auctoritatem, dummodo doctus ille sit, pius, probus, nec singulares opiniones passim doceat, sufficere ut opinio evadat probabilis, tutaque conscientia sequenda. Eorum ratio est, quia opinio illa censenda est probabilis, quæ non levi

nititur fundamento; at pii doctique hominis auctoritas non leve est (a) fundamentum; illam igitur sequi licet.

Errorum omnium *summam*, quos recentiores Casuistæ protulere, hanc opinionem voco; nam sine illa errores cæteri vim ferme nullam haberent. Prima Ecclesiæ regula, vel circa doctrinam, vel circa mores, hæc est, ut illa, quæ ad doctrinam, vel mores pertinent, hauriantur ex sacris Litteris, ex Conciliis, ex Sanctis Patribus, & ex probatis Doctoribus, qui idem doceant, uti infra ostendam: quod si unius Auctoris opinionem, utut omnibus reliquis, sive priscis, sive recentioribus repugnantibus, sequi liceat, nihil jam in Christiana Ethica seu Morali tutum ac firmum

(a) Huc spectat propositio ab Alexandro VII. 1665. n. 26. damnata: *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censi probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede apostolica tamquam improbabilem.* Item alia, quam Innocentius XI. 1679. proscripsit: *Generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Hisce affinis est alia ab Episcopis Gall. juxta vota Facultatis Paris. & Lovan. censuris stigmatizata: *Ad probabilitatem sufficiunt quatuor. Sed quatuor, imo viginti & supra, testantur, unum sufficere: ergo sufficit unus.* Ex quibus Natalis Alex. infert, *Authoritatem extrinsecam solam viro erudito fere nunquam: rudi quandoque, dum nempe invincibili ignorantia laborans bona fide pastorem &c. consulit, securitatem adferre.* Theol. Moral. T. 2. l. 3. Reg. 14. de peccat. Item Epist. 1. ad Doct. Sorbon.

firmum supererit. Vere id licet asserere, plurimum annorum tractu infimæ notæ homines ad conscientiæ casus pertractandos peculiari sibi modo animum appulisse. Neque e sacris Litteris, neque e sanctis Patribus, non e Conciliis, nec e probatis Scholasticis opiniones illi suas hauriebant, verum alterius scripta transcribebat alter, pluresque recensere Auctores curabat, ut suam confirmaret sententiam; neque solida, neque perspicua iis erat ratiocinandi methodus; pios in Lectoribus non excitabant affectus, quinimo eorum mentes difficultatibus dubiisque replebant; inutiles demum perniciosasque movebant quæstiones. Facillimum igitur erat cuique Casuistam evadere. At si librum ex aliorum dictis contextum, novisque modo opinionibus auctum scripsisse, & probe vivere sufficiat, ut fide dignus Auctor quis censeatur, quæ nostris regendis moribus non exorientur chimæ? quæ doctrinarum confusio, quæ denique ubique morum licentia, & corruptio? Ulliusne scientiæ magistri tam perniciosum docent axioma, unius nempe auctoritate Doctoris omnia in scientiis licitum esse innovare, & ipsa in dubium revocare principia? Illa Aristoteles vocat probabilia, quæ probantur sapientibus aut omnibus, aut pluribus, aut celeberrimis. Alexander Aphrodisiensis & Boetius idem affirmant. Unus igitur quantumvis bonus Auctor probabilem opinionem non efficit. (a) Summus & celeberrimus Doctor erat San-

(a) Alexander VIII. an. 1690. hanc n. 30. confixit propositionem: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augu-*

Sanctus Augustinus, suas tamen sententias, nisi certæ sint, a nemine vult amplecti; de aliorum vero scriptis ita loquitur. *Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed hoc mihi per alios Auctores, vel canonicas, vel probabiles rationes, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Quando heic probabiles rationes ille nominat, non eo sensu dicit, quo recentiorum Casuistarum aliqui suam probabilitatem appellant; nec de quæstionibus, quæ ad christianorum mores pertinent, loquitur, in quibus Ecclesia firmis, veris, validisque tantum utitur rationibus. Quid magnum hunc Episcopum dicturum fuisse putamus, si unius Auctoris opinionem tuta conscientia sequi posse, ævo suo aliquis docuisset? Generalis hæc est juris regula: *vox unius, vox nullius*; sicut Jurisconsulti & Canonistæ omnes testantur. Papiniani, qui jurisprudentiam adeo callebat, opinionem, *dubitationem* vocat Imperator. Si in juris negotio Jurisconsulti unius opinio attendenda foret, illa profecto esset Papiniani; attamen dubitatio solum vocatur, quæ minor est opinione. Quomodo

Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ultimam Pontificis Bullam. Si gravi censura notatus, qui Magni Augustini Authoritatem Pontificum Decretis præferre est ausus; cui pœnæ illi erunt subjiciendi, qui damnata dudum Caramuelis &c. &c. placita recantant? Qui spretis Mutii Vitelleschi saluberrimis monitis publicæ & privatim frequenter ingeminant: Tueri quis potest: Probabile est: Doctore non caret?

do igitur ubi de conscientia, aeternaeque salutis negotio agitur, privati Doctoris opinio tuta agendi regula esse potest? Ullusne artifex ita se gereret, ut singularis magistri sententiam adversus commune iudicium caeterorumque praxim sequeretur? Qui ajunt *docti, pii, celebrisque viri auctoritatem non leve esse agendi fundamentum*, id pro ratione sumunt, de quo disputatur. Affirmo enim Auctoris unius opinionem levissimum esse fundamentum; qui vero contra sentiunt, sufficiens illud esse probare debent: at id nunquam revera fiet. Ait Innocentius Pontifex, sequentem gravis Auctoris opinionem, quamvis erret, non peccare; sed addit: *Dummodo tamen error hujusmodi versetur circa subtilitatem legum.* Porro parum refert aliquem falli, ubi de obscura legis interpretatione agitur; at aeterna salutis tanti momenti est negotium, ut nulla pro ejus securitate nimia possit esse diligentia. Sanctus Thomas, perspicue ait (*Quodlibet 3. q. 10.*) in morum negotio neminem excusari, si contra manifestam sacrae Scripturae auctoritatem, & opinionem communiter in Ecclesia receptam, praecceptoris sui opinionem sequatur. S. Thomae doctrinam recentiores plerique Doctores amplexi sunt, veluti S. Antoninus, Angelus, Sylvester, & Suarez. Hinc paradoxon omnino est id, quod Casuista quidam scripsit, licitum esse unius auctoritatem sequi, etsi haec divino juri adversaretur; si enim hoc verum esset, haeretici cujuscunque doctrinam sequi liceret. Nestorius Constantinopolitanus erat Episcopus, doctrina eloquentiaque pollebat, piusque videbatur. Pro-

babi-

babilissima igitur ejus doctrina populo videri poterat, qui illum veluti Pastorem suum audiebat; attamen qui illius doctrinam amplexi sunt, hæretici sunt habiti, & ab Ecclesia damnati.

Circa humanas scientias postremis hisce sæculis ostensa nobis sunt lumina, quibus Prisci caruere; hinc non adeo rigide Platonis aut Aristotelis sensibus est inhærendum, vel veterum Mathematicorum, ut opiniones rejiciamus recentiorum Philosophorum, qui plura invenerunt antiquis ignota. Ante Copernicum & Galilæum se moventem Solem, terramque immobilem omnes putabant; attamen acutissimi Astronomi secus modo existimant, & contendunt Solem in orbis centro immobilem permanere, & circa illum terram veluti globum volvi: in utraque opinione omnia explicantur phænomena, & facile est textibus sacræ Scripturæ respondere, quibus motus terræ impugnatur. At non idem fieri licet in iis quæstionibus, quæ ad Christianorum mores pertinent: horum principium, nempe caritas, in Evangelio fundatur, in sanctis Patribus, in Conciliis, in Doctorum veterum sententiis. De offensa Dei agitur, qui peccantem potest damnare. Nulla, aut longe minor prudentia, justitia, caritas reperitur in agente id, quod Casuista recens permittit, quam in illo, qui ab opere abstinet, quod Antiqui omnes ut illicitum damnant. Quomodo ergo novum hunc Doctorem sequi licebit.

Gravis Doctoris opinionem sequi licet, si a nemine contraria opinio docetur, & si Doctoris

ris hujusce rationes valde sint probabiles; etenim opiniones, quæ gravis Doct̃oris auctoritate nituntur, ubi rationes sint utrinque æquales, opinioni anteferri possunt, quæ his auxiliis careat. Ita docet sanctus Thomas, (1. 2. q. 13. art. 6. ad 3.) dum ait non esse inconveniens, quod inter duas res æquales constituta voluntas in unam præ altera tendat, propter circumstantiam aliquam a qua movetur. Porro inter duas paribus rationibus fultas opiniones, gravis Doct̃oris auctoritas voluntatem movere potest, ut unam præ alia eligat. Hæc igitur opinio probabilior ac tutior evadit; illam propterea sequi licet. *Pondus auctoritatis*, inquit sanctus Bonaventura, *inclinat ad actum, præcipue si grave sit.* Verum istud auctoritatis pondus, ut vere loquamur, non ex solo Doct̃oris respectu oritur, sed quia illum doct̃um credimus, neque sine validis rationibus aliquid imprudenter proferre. Intellectus itaque inter duas opiniones æque validis rationibus fultas incertus pendet; ad illam tamen inclinatur magis, quæ auctoritate nititur. Hoc tamen raro evenit, idque semper est supponendum, hanc opinionem sensui communi non adversari, multoque minus veræ doctrinæ, non esse contrarium probabiliorem, neque esse ambas æque ita probabiles, ut incertus omnino intellectus pendeat, nec inclinari possit: tunc enim dubium oritur, tutiorque est sequenda opinio, ut postea probabimus.

Denique quæstioni huic aptius nequeo finem imponere, quam si eximium hunc sancti Bernardi textum afferam, qui falsas recentiorum Casuistarum

istarum

starum distinctiones, & omnia sophismata plane elidit. Jam illum inuimus, at operæ pretium est integrum hic afferre: *Ut interior oculus sit simplex, duo illi arbitror esse necessaria, caritatem in intentione, & in electione veritatem.* Nam si bonum quidem diligit, sed verum non eligit, habet quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam, & nescio quemadmodum iudicio veritatis res vera esse possit cum falsitate simplicitas. Volens denique ad veram discipulos instruere simplicitatem magistra veritas: *Estote, inquit, prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Præmisit ergo prudentiam, sine qua neminem satis esse posse simplicem sciret. Quomodo denique veri simplex erit oculus cum ignorantia veritatis? An vero vera potest dici simplicitas, quam simplex ignorat veritas? Scriptum est enim: *ignorans ignorabitur.* Sine malo quocumque non erit decepta simplicitas. Cur, inquis? Numquid non ex fide? Prorsus ex fide, sed falsa; vel certe potius non ex fide, quia fides falsa fides non est. Denique de fide vera, non falsa, puto dixisse Apostolum: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Non autem ex fide vera bonum creditur, quod malum est, etenim falsum. Peccatum igitur est utrumque; proinde complectitur præsens capitulum: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est: cæcam videlicet malitiam, & deceptam negligentiam, quia quod a nesciente fit, & bonum prorsus condemnat intentio prava, & malum non penitus excusat recta.* Sive itaque malum putes bonum quod forte agis, sive bonum malum quod operaris, utrumque peccatum est, quia neutrum ex fide;

fide; licet sane levius admodum peccetur, ubi sana intentione sola reprehensibilis actio foris apparet, quam ubi maligna latet etiam in bona actione intentio. Verum quod vel absque minimo peccato non est, purum bonum minime est.

C A P U T V.

Inter duas sententias æque probabiles non licet sequi quamlibet.

Illam solum actionem, quæ dictamine moraliter certo fulcitur, honestam esse, ac licitam, omnes admittunt. Unde jam intellectus, duas inter constitutus sententias, quarum una probabiliter actionem approbat; altera æque probabiliter eandem actionem damnat; unde, inquam, moralem de honestate actionis certitudinem eruet? An ex ipsis alterutrius sententiæ fundamentis (ut scholastice loquar) directe in se spectatis? Ast hæc mere probabilia, minime certa sunt, ab oppositæ sententiæ fundamentis, æque probabilibus, adeo enervata, ut intellectum, a præjudiciis purum, non modo ad assensum non pertrahant; sed anxium magis, ac dubium reddant. An forsitan ex principiis, ut vocant, reflexis certitudo isthæc moralis fluat? Ast hæc ipsa principia, velut incerta, & falsa ab ingente Probabilioristarum phalange impugnantur, velut laxa ac noeiva improbantur.

Juxta Dialecticos, & Criticos illud solummodo judicium morali certitudine gaudet, quod unanimi Sapientum assensu est firmatum; illud econtra ab hac certitudine deficit, quod Doctorum

contradictionibus obnoxium cernitur. Qua igitur fronte Probabilistæ reflexa sua judicia tamquam *certa* obtrudunt, quæ tot, ac tantos nacti sunt Adversarios? (a)

Ne tamen iniquius cum benignis Doctoribus egisse videar, præstabit præcipua eorum reflexa principia, ad sanæ rationis trutinam appensa, nonnihil exactius examinare.

Qui probabiliter agit (inquiunt) prudenter agit; qui prudenter, eo ipso honeste ac licite agit. Si ita res se habet: ergo probabilitas non veritas actionum nostrarum regula erit. Ut quid ergo Christus (Joan. 14. v. 6.) viam, vitam, ac *Veritatem* & non potius *probabilitatem* se vocat? Ut quid Psaltes Regius, (Psalm. 23. v. 5.) *dirige me in veritate tua*, & non potius: *dirige me in probabilitate*, supplex ingeminat? Ad quid tot sumptuosa Concilia, Veritatis inveniendæ gratia a Pontificibus convocata? Satis profecto fuisset probabilitatem stabilire, qua
fal

(a) P. Claudius la-Croix Probabilista in sua Theol. mor. T. 1. n. 125. *opiniones, inquit, quas aliqui negant, alii affirmant esse certo probabiles, non sunt certo probabiles.* Cum itaque principia reflexa Probabilistarum a tot, tantisque numero & Autoritate gravissimis Theologis negentur esse certo probabilia, imo ut aperte falsa improbentur, secundum hanc regulam nec *certo* probabilia erunt, sed solum *probabiliter* probabilia, & ita multo magis inepta ad dictamen practicum moraliter certum prudenter inducendum. Ita cl. P. Gazzaniga T. 2. de *act. hum.* pag. 541. in Not.

falsis opinionibus, sive ad fidem, sive ad mores spectantibus, nunquam defuisset. Ad quid Patres adeo laborarunt, ut, quod verum esse judicarent, verbis, & scriptis traderent? Improbo labore levare se poterant, si quod est probabile, credendum & faciendum permisissent. Quis horum divinæ legis Interpretum unquam cogitavit, Probabilistarum sententiam esse sibi sequendam? Veritatem singuli investigarunt, ejus cognitionem a Deo postularunt, *interfice in me* (orabat Augustinus) *quidquid est contrarium veritati*. Singuli obtestati sunt, fidem sibi non esse adhibendam, nisi veritatem prædicarent.

At novi nostri Doctores non adeo sunt scrupulosi. Parum eorum interest, opinionem quamlibet esse veram, iis satis est, hanc esse probabilem. Non ita in morum disciplina tradenda exorbitarunt Pagani: neque Stoici, neque Epicuræi sententiã unquam mutarunt. Quæ vera crediderunt, hæc pronunciarunt, iisque adhæserunt: suis in scholis veritatem reperiri dicebant, hocque pacto homines ad eas frequentandas invitabant. Soli Pyrrhonicæ dubitabant; sed de physicis tantum rebus, aut speculativis; in morum siquidem doctrina hominibus incertitudine solita non assentiebant; sed opus quodlibet bonum, aut malum, justum, aut injustum, licitum, aut vitium pronunciabant. Hodie vero, ubi de christiana justitia agitur, de salute, deque cælorum Regno, modo hoc, modo illud recentiores Casuistæ asserunt: opinionum harum alterutra ejusdem est bonitatis; una aliave vis

æque recta tenditur ad astra. Miseri, qui hosce Doctores docentes audiunt! Beatus ille, quem Dominus erudierit, *Et de sua lege docuerit eum!* (Psal. 93. v. 6.)

Propemodum tædet plura hujusmodi reflexa in examen vocare principia, postquam jam primum adeo arenosum perspeximus. Ne tamen gravi hac in materia studiose quidquam dissimulasse videar, duo plausibilia adhuc adducam. *Lex dubia, ajunt, non obligat, vel ut alii loquuntur: Lex non sufficienter promulgata non obligat;* dum duas inter opiniones hæreo, quarum una legem prohibentem existere affirmat; altera æque probabiliter negat, lex ista mihi dubia est, sufficientique promulgatione caret, nullam proin obligationem inducit: liber a lege sum. Prò Ethicam, christiano homine indignam! Si lex dubia non obligat; quævis autem opinio probabilis legem dubiam reddit, Superi! quor leges naturales, divinas, humanasque velut dubias, non obligatorias humana non respuet temeritas? Quorsum laxatis habenis vesana non ruet libertas? Quos limites dissoluta licentia non transiliet?

Sed ut liberalius cum novis hisce Casuistis agam, legem illam *particularem*, divaricata probabilitate dubiam redditam, minime obligare transmitto; ab actione tamen ut quis abstineat, alia eaque *universali* lege teneri contendo. *In dubiis tutius eligendum*, transgressionisque periculum fugiendum esse, Authoritas & Ratio jubet, prout infra demonstrabo, sicque in praxi illicita actionis positio erit.

Huic

Huic per totam retro antiquitatem celebratissimo principio Adversarii aliud opponunt, clamantes: *In dubiis melior est conditio possidentis.* Homo natura sua liber est, hacque suæ libertatis possessione eousque gaudet, quousque lex certa, ac clara eum inde non turbat. Principium hoc perantiquum est; at extra materiam justitiæ nec a Summis Pontificibus, nec a Patribus, nec a Conciliis ad decidenda dubia usurpatum. Novi, Recentisque venerunt, qui amplissimum illius fecerunt usum: qui hominibus placentia loquentes, suavi eloquio mulcentes viam ad Cælum ostenderunt facilem, ac latam, quam æterna Veritas arctam, spinisque horridam prædicavit. Sed, quid multis opus? An non ipsa libertatis possessio in nostro casu moraliter est dubia? An non lex universalis clara est, ad vitiandam bonam fidem, ac turbandam libertatis possessionem sat, superque sufficiens? De hac lege modo plura.

C A P U T VI.

Argumenti ejusdem Continuatio.

Mens nostra duas opiniones, æque, aut fere æque probabiles, invicem oppositas, serio perpendens, de neutrius veritate pronunciare prudenter potest. Ut quid enim unam præ altera veram judicet, cum Fundamenta utrinque æqualia, se invicem elidentia, videat? Suspendendum itaque judicium est, & ad modum dubitantis in medio persistendum. At periculum in mora est: agendi necessitas urget. Bene est: agas itaque, non tamen quod magis libet, sed quod licet;

licet; non quod delectabilius, sed quod tutius fuerit visum, agas. Istam agendi regulam Sacrae Paginae, Patres & Pontifices constanter inculcant.

Deum mandasse, mandata sua *custodiri nimis* Psalmista monet, *Psal. 118.* Eundem *ex toto corde, omnibusque viribus*, diligendum esse, Salvator docet. *Luc. 10.* Nimius ne, seu universalis Mandatorum custos ille sit, qui mandatum satis probabiliter sibi propositum, acsi omnino non esset, temere negligit? Cordialis Dei amator ille censendus; qui magis suae libertatis commoda, quam supremi Domini Jura, utut probabiliter cognita, cordi habet? Tales profecto Amicos nec homines sibi optant. Deus Creator, & Pater noster est: non mere servilem, sed filialem a nobis amorem exigit. Patrem haud sincere filius amat, qui multa, patri probabiliter displicitura, illo inspectante quotidie perpetrat.

In Salutis negotio controversas inter opiniones Tutiozem eligendam esse SS. Patres, fidelissimi Scripturae Interpretes docuerunt. D. Augustinus, de Donatista loquens, (*Lib. I. de Bapt. c. 3.*) Catholicorum Baptisma velut certi, Donatistarum dubii valoris aestimante, ita resolvit: *Graviter peccaret in rebus ad Salutem animae pertinentibus vel eo solo, quod certis incerta proponeret.* Et infra: (*Ibid. c. 5.*) *Accipere (Baptismum) in parte Donati, si incertum est, esse peccatum; quis dubitet, certum esse peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum est, non esse peccatum.* Jam inter duas aequae probabiles opi-
niones

niones de magis tuta certo constat, eam non inducere ad peccatum: de minus tuta non certo constat, eam non inducere ad peccatum; non igitur hæc sed illa est eligenda: secus qui facit Augustino Iudice certo peccat.

Magno Augustino unicum Bernardum subjungere placet, sicut vitæ mollis, ita & laxæ doctrinæ implacabilem hostem; hic autem in rem nostram ita differit: *Ut interior oculus vere sit simplex, duo illi esse arbitror necessaria, caritatem in intentione, & in electione veritatem* (l. de præcept. & dispens. c. 17.) dum nempe hæc obtineri potest. In casu collisionis duarum opinionum æque probabilium, veritas cognosci distincte non potest, proin nec eligi: Caritas itaque non solum intentionem; sed etiam electionem dirigat necessum est. Vera Dei, sui que ipsius Caritas omne peccandi periculum refugit; Supremi Numinis Dominio, ubi potest, se humiliter subjicit; quo igitur pacto minus tutam præ magis tuta unquam in praxi eligat?

Sunt, qui Bernardum non tam *cognitionis*, quam *actionis* veritatem, christianam scilicet in agendo sinceritatem subintellexisse autumant. Sive hæc, sive illa expositio adoptetur, præstabilitum inde nostrum magis firmabitur Principium.

Hanc ipsam Regulam Summi Ecclesiæ Præfules, Romani Pontifices in suis Rescriptis & Resolutionibus sunt secuti. Decretum, & Decretales inspicite, & ubique, præprimis Cap. 5. *De Cler. excommun.* Cap. 12. *De homicid.* & Cap. 3. *De Sponsal.* in dubiis *partem tutiorem*,

femitam tutiorem eligendam esse, scriptum invenies (a).

Minime me later, quantas violentias hisce Pontificum Decretis Adversarii inferant, ut ab argumenti laqueo sese extorqueant. Quidam hoc axioma, *In dubiis tutior pars eligenda*, non præcepti, sed consilii loco habendum esse prætendunt. Ast vana hæc evasio est. An non Pontifices verbis præceptivis: *debemus, tenemur &c.* utuntur? An non hanc tutioris partis sequelam ex lege naturali faciendam supponunt; dum eam ceu ultimatam suarum decisionum Rationem adducunt? An merum Consilium sit, quod qui non observat, peccandi periculo semet exponit?

Alii axioma istud obligatorium esse admittunt; ad dubium tamen *facti* illud restringunt. Quasi vero non fortior ratio pro *dubio Juris* staret. Tutior pars in dubio *facti* eligitur, ut peccandi periculum evitetur; nonne idem periculum in dubio *juris* timendum? Negant hoc, ac in dubio

(a) Quam alieni a Probabilismi dogmate Romani Pontifices fuerint, fulmina, in plurimas Probabilistarum propositiones vibrata, sat super demonstrant. Amplissimum laxitatum probabilistarum catalogum texuere cl. D. Amort Theolog. Ec. Tom. I. Romæ. P. Concina *Histor. Probabilismi*, & Theolog. Christ. celebr. P. Patuzzi *Tract. de Reg. prox. actionum hum.* T. 1. P. 2. c. 6. Quam male *Epistolæ Provinciales*, *Apologia Casuistarum* P. Piro, *Apologema* P. Caramuelis, *Dialogi* P. Danielis, *Concio Polemica* P. Neumayr, alique Probabilistarum libelli Romæ fuerint excepti, toti literato Orbi est notum.

dubio facti legem certam, adeoque sequendam: in dubio juris ipsam legem dubiam, adeoque libertati, possessione gaudenti, posthabendam esse dicunt; sed quam inepte, ex præmissis constat. Prætersam libertatis possessionem in casu controverso dubiam esse jam supra monui: in dubio tutius præferendum esse hucusque ostendi. Ut quid ergo in responsis datur, de quo controversatur?

Minus æqua eorum responsio, qui Regulam nostram in foro fori, non in foro poli seu conscientiae obligare fingunt. Etenim Clemens V. in Vienenſi Concilio distinctionem hanc differtis damnavit verbis, inquit: *Attendentes, quod in his, quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiae pars securior est tenenda.* Præterea conscientiae forum a foro exteriori non differt, quoties hoc falsæ præsumptioni non innititur. Alias Casuistarum interpretationes recensere piget, utpote quæ ex hæctenus dictis satis refutatæ manent. Quod si hac super re Doctoris Angelici mentem exquiras; nullibi probabilisticas reflexiones: ubique nostrum axioma in dubiis applicasse perspicies. Quodlibeto 8. Canonicum, qui ex varietate opinionum dubitat, si licita præbendarum pluralitas, nihilo tamen minus plures possidere pergit, periculo se committere & peccare S. D. asserit (a. 13.). Similia Quodlibeto 9. a. 15. & alibi habet. Jam S. Antoninum, Bonaventuram, Scotum aliosque veteres Moralistas scrutare, & probabilisticarum phrasum nec vestigium; nostri econtra axiomatis continuum usum apud illos invenies.

CAPUT VII.

Inter duas Opiniones inæqualiter probabiles nunquam sequi possumus minus probabilem, minusque tutam.

In ampliandis humanæ libertatis juribus ultra progressi Probabilistæ non solum inter duas æquali probabilitate pollentes minus tutam, sed & inter duas, inæquali probabilitate munitas, minus probabilem, simulque minus tutam eligi posse defendunt; ast plane infeliciter. In quaerenda veritate pro viribus ut laboremus, gravi præcepto stringimur. *Ante omnia opera tua* (ait Sapiens) *verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.* Eccl. 3. Idque jam Gentilis Stagyrita agnovit, dicens: *Veritatem debemus quæserere, & sequi quantum possumus.* (I. Ethic.) Bona fide procedere tenemur, Apostolo restante: *omne, quod non ex fide est, peccatum est.* Rom. 14. Deum magis, quam omnes res creatas diligere jubemur, juxta illud Christi: *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Matth. 10. Hocque Mandatum de Deo supra omnia amando primum & maximum in lege dicitur. Matth. 22. Illene omnem, quam potest, in indaganda veritate diligentiam adhibuisse est censendus, qui probabiliorem, & tutiorem opinionem studiose deserit, ut minus probabilem, & minus tutam sequatur? Illene Deum supra omnia diligit, qui sententiam, carni indulgentem, alteri, quæ legi favet, deliberate præfert? Illene bona fide agere est

est credendus, qui juxta eam, quam *probabilius falsam*, ac inhonestam ipse cognovit, praxi temeraria procedit.

Praxin hanc *temerariam* voco, quia nulli gravi ac moraliter certo fundamento nititur; quia Prudentiæ legibus adversatur. Casuista mollis opinionem sequitur minus probabilem, cujus principia *directa* mere probabilia, dubia, imo in concursu probabilioris magis falsa apparent; cujus principia *itidem reflexa*, uti supra demonstratum est, *ivi*, ambigua, controversa, ac falsa sunt: unde jam moralem de honestate suæ actionis certitudinem emendicabit? Qua prudentia semet ad agendum resolvet? Prudentia virtus practica est, quæ quantum potest, erroris, ac peccati periculum abesse jubet: periculum hoc abest, ubi moralis de honesto certitudo adest: adesse certitudo ista non potest in eo, cui certum videtur, quod verisimilius sit, actionem illicitam esse. Edic, quæso, istane compossibilia judicia sunt: *Mihi certum videtur, quod actus sit licitus, & simul mihi certum videtur, quod verisimilius sit, eum esse illicitum?* Istud ultimum quilibet, in minus probabilem incidens, formare sibi prudenter debet: primum ergo perpetuo exclusum maneat, necessum est.

Si venator in sylva moveri aliquid cernat, putansque hominem potius esse, quam feram, ictu feriat, hominemque occidat, homicidii reus est. Etenim Caritas, cujus exercitium non probabilis, sed necessaria res est, exigit, ut proximi sui vitam quisque servet, ac proinde quicumque hanc illi auferendi periculo
fe

se exponit, contra caritatem peccat, cum diligentiam, quam oportebat, non adhibuerit.

Si verum hoc, cum proximo nocendi periculum subest, magis id erit, cum Dei, aut Ecclesiae praecepta violandi periculum adest; neque tunc probabiliore ac tutiore relicta minus probabilem sequi licebit. Majore cura Dei Mandatum servare, quam proximi vitare damnum Christianus debet, Deumque magis, quam proximum amare, cujus amor ex Dei amore proficiscitur.

Sane si liceret probabiliore relicta probabilem opinionem sequi, plures possemus excusare actiones, quas tamquam malas, a Deo damnatas, supplicioque multatas sacrae Litterae narrant. Saul Amalecitarum Regi parcat, & nonnulla sibi ex spoliis reservat. Poterat ille probabili opinione se excusare; Samuelis nempe mandatum, quo illi jusserat: *Vade & percutite Amalec, & demolire universa ejus* (1. Reg. 15.) ab illo non differre, quod per Moysen Deus ediderat, & quod late poterat interpretari, nempe mares tantummodo illius gentis sibi esse intermendos. Hebraea vox sic legi, & interpretari poterat, ut plures Rabbini fecerunt, qui Saulem a divini praecepti violatione excusant: certum nihilominus est, ab eo fuisse violatum. Cum vero sacrificium Deo obtulit, probabili pariter opinione sibi licere est arbitratus; Samuel enim ad horam conditam non aderat, & pugna urgebat: attamen illum Propheta reprehendit, veluti Deo inobedientem, a quo deinceps rejectus, ac punitus fuit.

Quar-

Quando Roboam juniorum consilium est secutus, asperumque illud responsam populo dedit: *Pater meus cæcidit vos flagellis; ego autem cædam vos scorpionibus.* (3. Reg. 11.) nonne illi probabiles præsto erant rationes, quibus veterum aulicorum consilium rejiceret, illudque juniorum amplecteretur? A divina tamen Scriptura ille reprehenditur, & a Deo punitus est decem tribuum defectione, quæ Israelis regnum constituerunt.

Dum Christum crucis supplicio Pilatus adjudicavit, nonne rationes est secutus, quæ sibi probabiles videbantur? Videbat Pontifices, Sacerdotes, Doctores, Scribas, Pharisæos Christo crimen objicere, quod legem, cujus isti erant Interpretes, violasset, atque huic gravissimum perduellionis crimen accedebat, quod scilicet Regem se appellasset; objecta Christus crimina non refellebat, nullusque aderat, qui ab hisce illum purgaret. Quis tamen dubitet, Pilatum judicium iniquissimum pronunciaisse, quale sera nunquam videbit ætas?

Taceo plures alias, easque absurdissimas Probabilismi sequelas. Horribilem unam innuisse fat mihi erit.

Caramuel ait, (*Theol. fundam.*) infidelem, cui christiana fides proponitur tamquam sua probabilior, extra mortis articulum non teneri illam suscipere, quamdiu sua secta probabilis illi apparet. Hanc exceptionem Diana excludit, asseritque infidelem neque in mortis articulo constitutum christianam fidem teneri suscipere, cum novum agendi modum circumstantia hæc non inducat.

ducat. Nonne christiana religio funditus sic evētitur? Nonne Independentium secta sic stabilitur, qui religionem quamlibet tuto nos sequi posse asserunt, quæ bona nobis videatur, & quam cuique spiritus peculiaris suadet? Nonne licentiæ sic & impietati fræna laxantur? Dubie Caramuel de hoc infideli loquitur, qui idololatriam sibi probabilem potest amplecti; verum Casuista alii quocumque amoto limite, aperte ajunt, baptizatum non peccare, si hæresim non deserat quam a parentibus didicit, donec valida non appareant argumenta, quæ omnem sectæ suæ auferant probabilitatem; & quamdiu probabilitas illa manet, non peccaturum, qui eandem amplectatur (a). Hinc puellæ pleræque ceu hæreticæ non sunt habendæ, donec vigesimum ætatis annum non expleverint; quis enim affirmabit, argumenta eisdem non suppetere, quibus sectæ suæ probabilitatem tueantur? At nemo peccat probabilem opinionem sequens. Hanc sibi Caramuel objectionem opponit: Senes multi vivunt, qui hæresi addicti recte se vivere putant. Respondet, eos falli, si inter catholicos vivant, a quibus veritatem edoceri possunt; at si in Svecia aut Norvegia degant, ubi catholicæ religionis publica non fit professio nec de ea differentem aliquem audierunt, posse illos æternam salutem assequi, dummodo non peccent, aut actum aliquem

(a) Quid de hac Caramuelis, & Dianæ opinione sit sentiendum, Innocentius XI. docuit, dum a. 1676. hanc n. 4tam damnavit propositionem: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.*

aliquem contritionis vel amoris Dei eliciant. Hæretici Marcionis errores recitari audiens magnus sanctus Polycarpus exclamavit: *O Domine, in quam ætatem, in quodve me tempus reservasti, ut has blasphemias audirem?* Verum erantne istæ horribiliores, quam nonnullorum Casuistarum opiniones, qui liberum cuique docent in Christum credere vel non credere, si probabilitatis speciem quamlibet sequatur? Et mihi constat hæc paradoxa non ab omnibus doceri; at a probabilitatis doctrina illationes istæ necessario promanant, & jure ait Caramuel has omnino admitendas esse, si primum probabilitatis principium concedatur. Quod si ethnicis, ac mahometanis, qui simplicem fornicationem licitam putant, in infidelitate vel hæresi vivere licet, quousque illis videntur hæc probabiles; qui in iis degunt regionibus, ubi abominabiliora crimina, sicut olim Spartæ, absque scrupulo patrantur, tam detestabilia opera agentes minime peccabunt. Anne igitur probabilitas cunctis sceleribus viam pandit? quæ enim apta inter hæc duo reperiri potest diversitas, licitum id credere, licitumque id agere, quod probabile videatur?

C A P U T VIII.

Idem continuatur argumentum.

Compertum mihi est Casuistas recentiores plurimos opinari, licitum esse non modo probabilem opinionem sequi, sed minus etiam probabilem & minus tutam, tutiore ac probabiliore relicta. Mercorus doctus Dominicanus horum
octo.

octoginta ferme recenser; sed hujuscemodi Doctorum antiquior uno vix sæculo ante nos vixit (a). Veteres contra Scholastici omnes ad hanc usque laxitatem numquam pervenere, & ante illos sancti Patres de hac neque cogitarunt: Apostolorum doctrinam per traditionem ad se delatam secuti sunt. Magni isti viri dum Christianos ad divinam implendam legem hortabantur, eam implendi modum quoque docebant; quod si probabilem, vel minus probabilem opinionem sequi licitum esse existimassent, nonne hanc praxim homines docuissent? Sanctus Antoninus, sanctus Bonaventura, sanctus Thomas, Cajetanus, Scotus, Gabriel, Henricus Gandavensis, Comitulus Jesuita, Sotus, Navarrus, Corduba, Gerson, Joannes Major, aliique plures, qui novitatem hanc aperte damnant, opinionem in Ecclesia suo ævo receptam damnare ausine essent? Contraria ergo sententia, Ecclesiæ sententia censeri potest, quatuordecim seculorum traditione firmata, ab Auctoribus propugnata longe sanctioribus, doctioribus, ac fide dignioribus, quam novi isti, licet hi haud exiguo sint numero (b).

Joan

(a) Caramuel, Terillus, aliique Probabilismum Sæculo XVII. anteriorem, ac mundo coævum finxerunt, ipsamque Salvatorem Christum velut Probabilistam imperitis depinxerunt. Horum temeritatem Clemens XIII. compescuit, dum d. 26. Febr. 1761. *cei erroneam, & hæresi proximam* hanc damnavit propositionem: *Probabilismus Christo Domino summe familiaris fuit.*

(b) Vastissimum hodie Probabiliorismi est Regnum, Universo Lusitanicæ, Hispanicæ, ac Gallicæ Clero domi

Joannes Major, & Comitulus expresse docent in rebus moralibus haud spectandum Auctorum numerum, quorum primos alii veluti irrationalia pecora sequuntur; sed præ communi opinione illam sequendam, quam docent sex vel septem Auctores classici, qui accurate quæstionem

exa-

dominatur. Plerique Religiosi Ordines suis in scholis de illius nomine gloriantur. Ordo Prædicatorum in Capitulo generali 1656. Romæ celebrato Alumnos suos omnes Probabilioristas esse iussit. Idem Ordo Carmelitarum r. p. Constit. c. 22. Ordo Theatinorum Capit. Gen. 5. Ordo Trinitariorum Constit. c. 3. Ordo Franciscanorum strict. Observantiæ in Capit. Gen. 1762. Mantuæ habito, aliæque plures Regularium Congregationes pro suis statuerunt. *Probabilismum* (inquit P. Antoine S. J. Theologus Tract. de Conscient. prob. Resp. ad object. 15.) Congregatio generalis 13. an. 1687. declaravit non esse doctrinam Societatis. Et S. Ignatius Societatis nostræ Institutor hanc prudentiæ regulam omnibus Societatis Professoribus præscribit, ut sequantur in quavis Facultate securiorem & magis approbatam doctrinam. Constit. p. 4. c. 5. Constitutionem hanc gravissimam Alexander VII. P. Generali Goswino Nickel noviter suis inculcandam demandavit, eamque e Societate multi uti Rebellus, Comitulus, Blancus, Conzalez, Oliva, Vitelleschius, Bellarminus &c. ad amissim observarunt, dum junctis viribus contra Probabilismum, christianæ Reipublicæ non minus, quam ipsi Societati perniciosum calamos acuerunt. Ut quid gloriosa Confratrum obedientium vestigia premere diutius detrectant; qui obedientiam ceu præcipuam Societatis notam deprædicant?

examinant. Idem sacrae Litterae præcipiunt: *Ne sequaris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies (Exod. 23.).* Patres quicumque adversus hæreticos disseruere, nonne ad illorum refellendos errores hoc uno usi sunt argumento, accusantes nempe illos novitatis? Hoc Origenis libris sanctus Hieronymus objiciebat: *Cur post quadringentos annos nos docere niteris, quod antenescivimus? Cur profertur in medium; quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Usque ad hunc diem sine hac doctrina mundus Christianus fuit.*

Sanctus Bernardus adversus Abaillardum scribens, qui periculosas contra Trinitatis mysterium Ethicamque Christianam novitates docebat, verba nobis suggerit, quæ ad recentiorum horum Casuistarum illuviem deplorandam sunt accommodatissima. *Volant libri (inquit Ep. ad Innocent. Pap. 189.) pro melle, vel potius in melle venenum passim omnibus propinatur; novum cuditur populis & gentibus Evangelium, nova proponitur fides, fundamentum aliud ponitur præter id quod positum est; de virtutibus & vitiis non moraliter, sed cuncta nobis in perversum, cuncta præter solitum, & præter quam accepimus, ministrantur.*

Magni hujusce Sancti verba hæc nonne adversus hosce recentiores Casuistas scripta videntur? De peccatis isti jam non loquuntur, sicut Patres nostri locuti sunt; novas reperere conditiones ad mortale committendum peccatum; de diligendo Deo præceptum subtilius docuere, ut
homi-

homines eo liberarent; novas afferendi jurandive formulas invenerunt, novas edidere doctrinas de modo audiendi Missam, divinique Officii recitandi; de adulterio, reliquisque impudicitis, de homicidio, de furto, de usura, de creaturarum amore, de terrenorum bonorum usu, de vindicta: nihil tandem in Ethica Christiana intactum reliquere, illamque adeo deformarunt, ut neque Apostoli, neque Sancti Patres eamdem modo agnoscerent. Ad illos igitur hæc sancti Bernardi adversus Abailardum verba convertamus (*Epist. ad Innoc. Pap. 160.*). *Tibi proinde sint quæ tua sunt; ego Prophetas, & Apostolos audio; obedio Evangelio; sed non Evangelio secundum Petrum: tu nobis novum condis Evangelium.*

Unitas nota est & character veritatis, quæ ab uno Deo proficiscitur. Sicuti una est fides, ita in ejus dogmatibus nulla potest esse diversitas. Sicuti una est Ecclesia, ita una est cum eadem communio, eademque in ipsa Sacramenta sumuntur. Doctores, quicumque docent, non licere minus probabilem, minusque tutam opinionem sequi, probabiliore ac tutiore relicta, hoc nituntur principio, numquam licere animam suam periculo exponere, illumque peccare mortaliter qui huic periculo eandem exponat. At probabilitatis Doctores diversimode loquuntur, diversis reguntur principiis, diversasque statuunt conclusiones.

Nonnulli dicunt generatim in omni re morali licitum esse sequi probabilem opinionem, quæ

tenuem habeat probabilitatem, & inter minus probabiles illam etiam eligere, quæ probabilitatem minimam habet.

Generalem hanc assertionem alii limitant, docentque licere minus probabilem sequi opinionem, dummodo evidens sit ejus probabilitas. Docent quoque tunc licitum esse minus probabilem opinionem sequi, quando secus proximi damnum vitari nequit.

Volunt aliqui minus probabilis opinionis usum in foro conscientiae esse permissum, non autem in foro fori.

Alii docent non licere minus probabilem opinionem sequi in Sacramentorum administratione, neque in iis, quæ ad fidem, aut commutativam justitiam pertinent; id est cum de proximi damno agitur. Aliqui tamen neque Sacramentorum administrationem, neque justitiam excipiunt.

Docent nonnulli ad consilii dumtaxat opera spectare probabiliorem opinionem sequi. Affirmant alii hoc neque præcepti esse neque consilii. Adfunt, qui putant minus probabilem esse sequendam, cum gravis infamia vel grave damnum vitari hoc pacto potest, aut cum damnum prudenter vitandum non imminet, si contraria opinio eligatur.

Nonnulli denique dicunt hanc propositionem: *Licitum est probabilem opinionem sequi*, esse tantum probabilem; alii vero verissimam esse affirmant. Neque inter Babelicam turrim ædificantes tanta fuit confusio, quam inter hos probabi-

babilitatis Doctores, qui ædificium construere velle videntur, quod homines a peccatorum diluvio servet, quo terra alluitur; quod numquam tamen poterunt perficere: imo vero Evangelii, veræque Moralis Christianæ aggeres demoliuntur, intra quos ruti degere homines possent.

At rationes illas perpendamus, quibus opinionem suam Doctores isti firmant, nempe minus probabilem minusque tutam opinionem licere sequi, tutiore ac probabiliore relicta; hujusque sententiæ imbecillitatem ac falsitatem demonstremus.

C A P U T IX.

*Quædam Probabilistarum diluuntur
Objectiones.*

Prima Casuistarum ratio, qua probare nituntur, licitum esse minus probabilem minusque tutam opinionem sequi, & probabiliorem tutioremque relinquere, hæc est, nulla nos lege compelli ad probabiliorem opinionem sequendam, quamvis in hoc major sita sit perfectio.

Rationi huic Sanctus Paulus respondet (1. Theff. 5.) *Quod bonum est, tenete: æmulamini charismata meliora*, clare insinuans Christiani hominis esse perfectionem semper quærere, & quidquid illi sit agendum, meliore pro virili modo agere: cumque omnia ejus opera in caritate sint facienda, si hic minus, plus ibi caritatis adesse videat, id illi esse eligendum, in quo majorem exercere possit caritatem. Verum aptior responsio est, non hic agi de majori perfectione, sed de æter-

na salute, & de mortalis peccati periculo. Quis neget teneri nos semper & ubique illud vetare, quoties illius adesse periculum suspicamur?

Secunda ratio est, posse Doctorem in schola minus probabilem opinionem docere, & probabiliorem deferere. Potest igitur illam alteri suadere, dum consulitur.

Respondeo, veritatis Doctorem, si hanc docere studet, non autem suum proferre ingenium, aut vile aliquod captare emolumentum, non posse in christiana schola opinionem relinquere, quam veriolem credit, ut aliam doceat, de cuius veritate dubitat; secus discipulorum suorum, qui veritatem ab eo discere cupiunt, ingenio & conscientia abutitur. Præterea quomodo potest quis propositionem docere, ex qua certam opinionem nequeat elicere? Porro juxta Aristotelem, ut jam innuimus, nequit intellectus opinioni firmiter adherere, quæ ex minus probabili, probabiliore sententia relicta, proficiscitur. Cum hoc in rebus fidei verum sit, quomodo possunt recentiores Casuistæ novitates in Ecclesiam invadere, quæ veterem doctrinam evertunt, & tumultus cient, & inde se tueri, quia suæ sibi probabiles opiniones videntur? Idemne in theologicis licet quæstionibus, quod permittitur in physicis? Liberum sibi religiosus homo non putabit ingenii sui inventa veluti certas veritates docere, & in scientiis ipsis humanis colendam esse veritatem existimabit, ne hominum mentes fallat.

Tertia ratio est, ut minus probabilem opinionem sequentes plures animæ e scrupulis liberentur.

Sed

Sed qui a legitimis scrupulis animas liberare hoc pacto nritur, falsa illas securitate decipit, malamque eisdem pacem tribuit: *Dixerunt pax pax, & non erat pax*, inquit Propheta Jeremias c. 6. Lethalis sic somnus, seu potius mors ipsa eisdem conciliatur.

Quarta ratio est, non posse nos integram rerum habere certitudinem, ad quam proinde nos Deus non obligat, sed solum cum morali certitudine ad operandum, quæ in probabili opinione reperitur, & ad prudentiam sequendam, quæ minus bonum tute potest eligere, quando ex aliqua vel ratione vel auctoritate honesta illi actio & licita videatur.

Respondeo certum esse, minus probabilem opinionem morali certitudine carere, quando contraria opinio est probabilior; sed revera intellectum metuere & practice dubitare, quamdiu in hoc statu manet. Porro in hac dispositione nequit homo opus agere, de quo dubitat, peccandi enim periculo se exponeret.

Si juxta *moralem* prudentiam, quæ humanorum actuum certa & determinata est regula, hoc non licet; id multo minus permittit *christiana* prudentia, quæ Dei lumine ducta, Deumque ut finem suum ante oculos habens, in obscuritate vel dubio nequit operari, neque finit ut Christianus cum finis sui obtinendi incertitudine operetur. Prudentia juxta Sanctum Augustinum est amor, qui ea discernit, quæ hominem ab amato bono obtinendo impedire, aut ad illud obtinendum hominem possunt adjuvare. Minus

probabilis opinionis electio hac prudentia non fit; hujusmodi enim electio hominem impedire potest, ne Deum obtineat, & ad peccatum impellere.

Dicet tandem fortasse aliquis: cum hanc opinionem tot Casuistæ doceant, nec illos Ecclesia damnet; sed eorum libros inter omnium manus versari sinat, eorum sententia tacite ab Ecclesia videtur probari, & possessionis seu præscriptionis specie quadam gaudere.

Probabilitatis equidem opinionem a centum ferme annis Casuistæ plures docere ac pro virili tueri aggressi sunt; at non idem de christianis circa mores dogmatibus, & de philosophiæ placitis ferendum est judicium. Mutari illa non possunt, quoniam immutabili nituntur principiis, ut jam diximus, & validioribus deinceps probabimus argumentis; ista vero cum indubitatis haud nituntur principiis, mutari facile possunt. Ad Sancti Thomæ usque tempora Platonis philosophia in Ecclesia viguit. In ejus locum Aristotelis philosophiam Sanctus Thomas invexit, quam veteres nonnulli Patres veluti impiam detestabantur; verum hoc Religioni discrimen nullum attulit. Modo possumus, sicut antea Platonem sequi, & Christiani permanere, dummodo cum Christianis veritatibus Platonis placita non misceamus. At cum de christianis dogmatibus fermo est; vel ad fidem illa, vel ad mores pertineant, non quoscumque, ut occurrunt, Auctores, sequi licet; sed in dubiis adhuc quæstionibus Evangelium, sanctorum Patrum traditio, & prisca Doctores sunt consulendi.

De conscientiae casibus Librorum illuuiem, quae per christianum orbem a pluribus jam annis se diffudit, Ecclesia passa est; illam tamen nunquam calculo suo probavit. Optandum profecto erat, ut in initio hoc malum manu valida abscinderetur, promptumque remedium forsitan prohibuisset, ne tam late contagio serperet. Remedium aliquod tanto malo summi Pontifices adhibere. Clemens VIII. opinionem proscripsit, quae afferebat validam esse Confessionem per epistolam, pluresque alias de matrimonii usu. Alexander VII. perniciosas plures propositiones ex recentiorum Casuistarum libris excerptas, ut inuimus, damnavit ejusque Bulla omnium manibus recitur. Multi in Gallia Episcopi (a) illas pariter

(a) Haud impari zelo multi Germaniae Episcopi contra probabilisticas laxitates insurrexerunt. Libellos, e Probabilismi Familia oriundos, a Summa sede dudum confixos, temere recusos, ac in Nobilium praeripis aedibus distractos Illustriss. Archiepiscopus Vienenfis Migazzi suppressit. Ut non nisi certiore, ac tutiore partem in Moralibus sequantur Celsiss. Princeps, & Episcopus Passaviensis data a. 1764. pastoralis Epistola suos admonuit. Publicam Probabiliorismi defensionem Celsiss. Franciae orientalis Dux, & Episcopus Herbipolensis Adamus Fridericus suis Clericis Seminaristis injunxit. Simili praercepto Sereniss. Princeps, ac Episcopus Augustanus Josephus Fel. Recordat. suos Clericos, Alumnos Pfaffenhusanos obstrinxit. Sed quid est, quod non obstante Episcoporum vigilantia adhuc tam late per Germaniam Probabilismi malum serpat? Ni memoria me fallat, ad quaestionem hanc, aliquando propositam,

riter damnarunt, quibus librum, qui Casuistarum Apologia vocatur, mulctarunt, qui liber errorum omnes complectitur; quos per centum ad novem usque annos Casuistæ suis in libris docuerunt. Eundem librum pessimum privati plerique Doctores confutarunt: Theologica Parisiensis Facultas die 16. Julii 1658. censura sua illum damnavit. Ex editis igitur scriptis norunt Fideles horum perniciosarum opinionum enormitatem, ita ut nequeat ignorantia illos excusare. Antiqua dissimulatio, quæ afferri posset, licitas redderet nequit actiones, quas naturæ lex condemnat, & divina, contra quas leges consuetudo nulla prescribit. Hæc dissimulatio ab eorum silentio perfecta est, qui abusum compescere debuerant, quod si statim hæc propositiones ad sanctam Sedem fuissent delatæ, aut ad nationale vel provinciale Concilium, aut ad particularem Synodum dubio procul damnatæ fuissent. Quis igitur ille ex hoc silentio jure probatas dicet? Væ Pastoribus, qui silent, dum lupum ad devorandas oves venientem vident! At lupus mores suos non mutat

positam, Vir admodum Gravis hæc respondit: Probabilismi quæstum Germanicæ Episcopi necdum sublatus vident; quia Christi Zelum in uno non in altero imitantur. Christus in Templi profanatione non solum flagello animadvertit; sed & eorum mensas ac cathedras subvertit. Si hi Episcopi, Flagello Censorio Cathedrarum probabilisticarum subversionem superadderent, suisque in Lyceis nullum nisi Probabilioristam ad Theologiam Moralem juvenibus tradendam admitterent, brevi Sacratioris Disciplinæ profanatio desineret in Germania, quemadmodum desit in Gallia. Hæc quidem ille.

mutat; nec ideo gregis cladem Pastor supremus approbat. Quare igitur lupos quiete, ut interdum evenit, agere patitur? Dei judicia hæc sunt erga homines, qui illos a cæcis ducibus regi, & in præcipitium agi sinit. Mendacii spiritum in Prophetarum Achab ore Deus posuit, (3. Reg. 11.) quia sic puniri Princeps ille merebatur. Pharisæos ideo arguit, quia traditionibus suis legem Dei corruperant; nihilominus eorum dogmata per plura sæcula populus est secutus, Pontificibus & Doctoribus non contradicentibus, imo eadem amplexantibus. Qui ut illa sequerentur, divina mandata violabant, erantne excusabiles? Nonne Christus hæc dogmata veluti vana & divino cultui contraria condemnat? *Sine causa autem*, inquit, *colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum* (Matth. 15.). Particulares rationes plane cognoscere nequimus, ex quibus post malos duces homines ire Deus interdum permittit; sed cum Sancto Augustino affirmare licet, id plerumque evenire, ut perversæ hominum cupiditates puniantur. Veritatem audire nolunt, & ad illos Deus mendacii doctores mittit, *Coaccervant sibi magistros prurientes auribus*, inquit Apostolus (2. Tim. 4.) & *Deus spargit pœnales cæcitates super illicitas cupiditates*. De Balaa-mo loquens idem Augustinus inquit: *Proinde Dominus videns ejus cupiditatem captam devictamque muneribus, permisit eum ire, hoc ipso confundens ejus dementiam, quod prohibitionem Dei transgredi asina non auderet, quam ille cupiditate transgredi conaretur, quamvis eandem cupiditatem timore supprimeret.*

CAPUT X.

*Inter duas opiniones quandoque licet sequi
probabiliorem minus tutam.*

Erroris unius impugnatores, nimia disputatio-
nis fervore abrepti non raro in errorem op-
positum sunt prolapsi. Id certe in Probabilism
controversia contigit. Dum nonnulli indiscreti
zelo contra laxitates dimicabant, rigoris exce-
sum, delicatis præsertim animabus nocivum in-
vexerunt, contendentes, Christianum hominem
Probabilitati, licet maximæ, acquiescere nunquam
posse, sed ad omnino certa, vel saltem tutiora
quærenda eundem adstringi.

Hisce, Rigoristis, seu Tutioristis dictis, (a)
nedum Probabilistæ; sed & Probabilioristæ re-
fragantur, dumque de sola *actionis honestate*
emergit quæstio, probabiliorem minus tutam
tutio

(a) Immane hosce inter Rigoristas, & Probabilioris-
tas intercedit discrimen. *Rigoristæ* nunquam
probabilitati assurgunt: in defectu certitudinis
directæ semper & ubique *Tutiora* eligenda esse
contendunt, sicque obligationum onera admodum
multiplicant. *Probabilioristæ* plerumque probabi-
liorem etiam *minus tutam* velut absolute tutam
approbant, solumque minus, vel æque probabi-
lem, & minus tutam prudenter in praxin deducere
posse ex fundamentis supra adductis negant. En-
quam injuste Probabilistæ Rigorismi labem Pro-
babilioristis affingant! Ast necessaria illis hæc fictio
est, ut juvenes nudo *rigoris* nomine perterriti
solida Probabiliorismi principia examinare negligant,
cæcoque impetu, quoad vixerint, possint
Probabilism eant.

Quandoq. probab. minus tutam &c. 61

rutiori minus probabili præferri posse, sequentibus rationibus, mea quidem opinione gravissimis, evincere videntur.

Homo duas inter Sententias minus tutam, multo tamen probabiliorem sibi visam in praxi sequens simile præmittere judicium potest: *Qui agit, quod post sufficiens examen sibi videtur veritati propinquius, vel omnino verum, is prudenter agit: acturus ego jam sic agam; prudenter itaque agam.* Iudicium istud de honestate actionis ponendæ moraliter certum est, unanimi Sapientum consensu adeo firmatum, ut paucorum Tutoristarum merito negligi dissensus possit.

Homo juxta minus tutam, sibi multo probabiliorem, procedens Prudentiam gubernatricem Sinceritatem comitem, Charitatem amicam habet. Prudentia de honestate actionis certa esse cupit: Sinceritas seu bona fides vera aut certe verisimiliora amplectitur: Charitas divinam legem zelat, de cujus existentia vel certa est, vel prudenter dubitat. Qui probabiliorem minus tutam sequitur, de legis existentia dubitare prudenter non potest; quia altera minus probabilis juxta probabiliorem posita solide & expedite probabilis esse desinit, sicque veluti minus habens inventa suo pondere intellectum in æquilibrio servare, aut omnino suam versus partem inclinare nullatenus valet, nisi liberum voluntatis unde unde permotæ imperium ponderis defectum suppleat.

Ast Patres, Pontifices, Concilia in dubio tutius eligendum esse docent; in Salutis negotio dimit-

dimittenda incerta, ac ubique certa tenenda et
 monent. Ita sane. Sed numquid notabili pro-
 bilitatis excessu æquilibrium rationis impeditur
 prudensque dubium ab intellectu arceri, jam
 pra ostendi? Numquid opinionem minus tutam
 ipsa probabilitas multis gradibus major, ac
 Etamen reflexum moraliter certum adhuc simp-
 citer tutam efficit? Certitudinem physicam, et
 metaphysicam Patres nullibi requirunt; moti
 Contenti sunt. Quisquis (inquit Augustinus l.
cont. Academ. c. 3.) *tantum, quantum potest,*
debet, dat operam inveniendæ veritati, is, etiam
non inveniatur, beatus est; totum enim facit, quod
ut faciat, natus est. Aurelio Aquinas succin-
 sua in Summa docens: *In actibus humanis - - su-*
perat probabilis certitudo, quæ in pluribus verita-
tem attingat, etsi in paucioribus a veritate de-
ciat (2. 2. 9. 70. a. 2.). Notissima quoque
 Iuris sacri Regula: *Inspicimus in obscuris, quod*
est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit
(R. 45.) quæ profus inutilis foret, si universalis
 tutiora sequendi daretur obligatio (a).

Age jam, Summorum Pontificum facta, et
 communem Fidelium, etiam timoratorum, pro-
 xim in critico oculo perferutare, & frequentissimè
 hujus

(a) Alexander VIII. a. 1690. istam n. 3. damnatam
 propositionem: *Non licet sequi opinionem vel inter
 probabiles probabilissimam ex qua juxta leges opo-
 positarum optime infertur: ergo quandoque sequi
 licet opinionem respectivè probabilissimam scilicet
 probabiliorem, etiam minus tutam, quia hujus
 præcisè sequelam propositionis damnatæ negativè
 defensor.*

hujusce Regulæ usum deprehendes. Quidam Pontifices in Matrimonio rato, in votis &c. non obstante quorundam Scholasticorum contradictione dispensarunt; quia hanc dispensandi potestatem sibi competere longe probabilius ipsis erat. Fideles, quod probabilius suum esse putant, retinent. Ad Sacrum Tribunal accedentes primæ vel secundæ contritioni, probabilius validæ, aliam, et aliam novam non substituunt &c. Nonne D. Bonaventuræ, et Guillelmi Parisiensis sententia, hominem statim ac peccavit, ad Confessionem obligans, tutior erat? Et tamen D. Thomæ opinio multo probabilior velut simpliciter tuta in praxi servatur. Idem de aliis tene.

Ne tamen perorasse pro iis videar, qui non tam argumentorum merito, quam pravorum affectuum suffragio opinionem quamdam libertati faventem ceu probabiliorem proclamant, illam solum, quæ vere, & sincere, quæque, post examen rei gravitati proportionatum probabilior inventa, tutiori minus probabili præhaberi posse dixi. Imo, si non de sola actionis honestate, sed de necessariis necessitate medii ad Salutem, de Sacramenti valore; de vitando proximi damno agatur, tutiorem minus probabilem cuivis probabiliori præferendam esse contendo (a). Major etenim pro-

(a) In materia Sacramentorum, extra casum necessitatis semper tutiorem, posthabita quavis probabilitate, assumendam esse, Innocentius XI. declaravit 1679. hanc n. 1. damnans propositionem: *Non est illicitum in Sacramentis conficiendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutio-*

probabilitas, & invincibilis exinde nata legis ignorantia nec mediorum aut Sacramenti defectum supplet, nec damnum impedit, licet cæteroquin a simplici legis transgressione operantem excuset casu, quo lex, probabilius negata, re ipsa forsitan existeret. Sed de probabilitate satis (a).

tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc sententia probabilis tantum utendum non est in Collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

(a) Plura qui de Probabilismi Origine, Incremento &c. scire desiderat, legat P. Concinam Tom. 2. Appar. ad Theol. Christ. P. Vincentium Patuzzi de Reg. prox. aff. hum. P. Vinc. Contenson Tom. 3. Theol. mentis & cordis, dissert. 3. de novello probabilitatis commento, P. Billuart Tract. de aff. hum. dissert. 6. P. Antoine Tract. de Conscient. Cap. 4. P. Gazzaniga Tom. 2. Cap. 3. de Conscient. prob. Quæ confutato probabilismo ad Probabilioristas se convertens amice rogat, ne saniolem, ac probabiliolem doctrinam, quam verbis profitentur, factis negent, neve onera, quæ disputando, consulendo &c. aliis imponunt, Phariseorum more ve digito movere detrectent, in præjudicium doctrinæ, ac damnum animarum irreparabile.



SECTIO

SECTIO II.

DE
FONTIBUS MORALIS SANÆ.

CAPUT I.

*Ostenditur ab Evangelio Christianæ Moral
Regulas esse petendas.*

De recentioribus Casuistis plerisque conqueri mihi jure licet verbis iisdem, quibus olim Deus per Prophetam suum de Judæis que- rebatur: *Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas (Jerem. I.).* Vivum veritatis fontem, sacras videlicet Litteras, Traditionem, Concilia, sanctosque Patres dereliquerunt, ut novos sequerentur Auctores, qui cisternis dissipatis, quæ continere non valent aquas, vel unde corrupta tantum hauritur, comparari merito possunt. Hinc pro salutari potu venenatum Lectoribus suis propinant, qui pro refectioe mortem illis affert, aut veræ pietatis ignem in ipsis extinguit. At illud magis deplorandum, adeo illos errorem suum non agnoscere, dum veteres tutosque duces deserunt, ut potius errorem suum prædicent jactentque. Hinc omnes prodiere errores, quibus Ethicam Christianam corrumpere diabolus nititur. Auctor quilibet dum certas regulas deserit, nec sibi necessario sequen-

Godeau Theol. Mor. Pars I,

E das

das arbitratur, chimæras quascumque nugasque excogitat, quibus aliorum inventa superet.

Non hanc Apostoli veteresque Patres inveniunt: norunt Christum in Evangelio testantem a semetipso non loqui quidquam: *A meipso non loquor* (*Joann. 14.*) sed id loqui, quod a Patre didicit, suamque non esse illius doctrinam, sed eius qui eum misit. Prophetarum sententias ille affert, non modo ut se Messiam prober, verum etiam ut morum doctrinam explicet: quem admodum de divortio, circa quod quæstiones illi proponebant Scribæ & Pharisei, Genesios verba allegat. Sanctus Paulus, reliquique Canonici Scriptores sacris litteris passim utuntur: qui Apostolos sunt secuti, eorum Epistolas referunt; nullusque apostolicus Concionator fidele vehementius ad pietatem se inflammaturum putabat, quam si Apostolorum verba proferret eorumque doctrinam sectaretur. Sancti Cypriani Doctrina moralis, sancti Gregorii Nazianzeni, ceterorumque Græcorum Latinorumque Patrum non est eorum inventum; Evangelio, Traditione sacrisque Canonibus illa nititur. Omnes identè sentiunt de cupiditate, de mundi amore, de ambitione, de avaritia, de usura, de luxuria a semetipsis numquam discrepant, neque actionem eandem modo licitam, modo vitatam docent.

Certum est nobis Dei Filium non modo credendi certam & indubiam regulam tradidisse, verum etiam recte operandi. Non enim solum Christiano fides sufficit; sed oportet ut fides hæc

hæc per dilectionem operetur, quemadmodum inquit sanctus Paulus: *Fides quæ per caritatem operatur* (Gal. 7.). Sicut nostræ fidei Scriptura sancta norma est, ita & morum. Id sanctus Paulus scribens ad Timotheum, in cujus persona Episcopos omnes, Doctores, animarumque Rectores monebat, paucis verbis docet: *Omnis Scriptura* (inquit 2. *Timoth. 3.*) *divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: sive juxta Græcum textum: Utilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correptionem, & ad institutionem quæ est in justitia.* Omnia verba hæc oportet perpendere: *Omnis Scriptura divinitus inspirata est canonicis Scriptoribus;* id est a Spiritu sancto, qui nihil a semetipso loquitur, sed quod a Filio accepit: *Ille de meo accipiet* (Joan. 16.). Si Scripturæ sanctæ Spiritus sanctus est Auctor, divina illa est regula. Quomodo igitur recentiores Casuistæ illam negligere & deserere possunt, ut Casuistas alios, sicuti solent, tantummodo consulant? Non enim frequenter verus vel novum Testamentum in eorum libris citatur. At sacrarum Litterarum auctoritate eorum sententiæ niti deberent, ut eas Lectoribus suis persuaderent; verum pro Evangelio vel sancto Paulo novos Casuistas allegant, & auctoritatum numerum potius quam pondus exquirunt (a).

Præ-

(a) *Quid iniquius, quam impia sapere? Sed in hanc insipientiam cadunt, qui, cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad propheticas*

Præterea notandum, hoc loco sanctum Paulum veteris Testamenti libros præcipue commendasse; nam præterquam quod non cuncta adhuc Evangelia prodierant, libros illos Apostolus commemorat, in quibus ab infantia ejus discipulus fuerat eruditus, quod ad veteris Legis libros tantum pertinet. Verum quamvis Testamenti veteris libri nostrorum morum sint regula; tamen peculiari quodam modo novi Testamenti libris id convenit. Ultra Scribarum & Pharisaorum justitiam abundet justitia nostra necesse est, ut inquit Christus: *Nihil ad perfectum adduxit lex (Hebr. 7.)*; perfecta autem lex est Evangelium. Debent igitur christiani Doctores novum Testamentum discere, hincque regulas regendarum animarum sumere, si fideles & videntes duces esse cupiunt, non cæci & cæcorum duces; etenim si vetus tantum Testamentum legerent, non autem novum, bonos fortasse Hebræos, non veros Christianos efformarent. Quid igitur sperandum superest, si a Philosophis tantummodo Moralia Principia sumunt, aut ab Auctoribus, qui solum hos sequuntur humanæ sapientiæ doctores tam sæpe a Christo damnatos? Honestos tandem Ethnicos dumtaxat efficient. Verum etsi juxta Stoicorum regulas illos effingerent,

ticas voces, non ad apostolicas litteras, nec ad evangelicas Auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt; Et ideo magistri erroris existunt, quia Veritatis discipuli non fuere. S. Leo Epist. 24. alias 10. ad Flavian. Episc. Quis novos quosdam Casuistas a Magno Leone propheticè correptos non putet?

gerent, melior in eorum actibus adesset ordo, magis a voluptatibus temperarent, magis mundi pompas & divitias aspernarentur. Etenim neque Zeno, neque Philosophus quilibet alius, neque Epicurus ipse, si bene explicetur, hominum cupiditatibus fræna laxarunt, ut postremi sæculi Casuistæ peregerunt. Senecæ libri longe magis ad virtutem excitant, & christiane magis (ut ita dicam) loquuntur, quam recentiores isti Casuistæ.

Novum Testamentum non utile modo est ad ea docendum, quæ ad fidem moresque pertinent, ad corripiendum, ad arguendum; sed omnino est necessarium, unusque hic liber est, qui hæc omnia auctoritate summa docere potest.

Multifariam (inquit Apostolus *Hebr. 1.*) *multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime diebus istis locutus est nobis in Filio: cujus verba adhuc permanent, nobisque ab Evangelii Scriptoribus sunt tradita, & hæc credendi ac recte vivendi lex est, quam Ecclesia accepit, fidelibusque proponit. Propterea ubi antiqua habebantur Concilia, thronus erigebatur, supra quem statuebatur Evangelium, ut hoc pacto palam testarentur Patres, se juxta illud fidei, morumque quæstiones velle decidere. Ad harum hodie decisionem, si recentiores plerosque Casuistas audiamus, sufficeret alicujus ex ipsis librum habere præ manibus, & juxta eundem cunctas disputationes fieri. Non ita sane sanctus Augustinus existimat, dum sic scribit *Tract. 3. in Joan. : Nos itaque sic audiamus Evangelium, quasi præsentem Dominum.**

Non ideo solum scriptum est Evangelium, ut quid nobis *credendum* sit intelligamus, verum etiam ut quid nobis sit *agendum* discamus; imo verò bonos mores apertius, quam veram fidem docere videtur. *Cæpit Jesus facere, & docere (Act. I.).* Et se nobis exemplum dedisse testatur, ut ejus sequamur vestigia: *Ut quemadmodum ego feci, ita & vos facietis (Joan. 17.).* Institutionem nostram & exempla ab Evangelio, non a Casuistarum libris petere debemus: ibi quid singulis conveniat, ut suis quisque recte fungatur officiis, cunctasque acquirat virtutes est intuendum. *Evangelium, ait sanctus Ambrosius, non solum fidei doctrina, sed etiam morum est magisterium.* Est illud veluti speculum, inquit sanctus Gregorius magnus; *ibi enim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus, ibi sentimus quantum proficimus, ibi, a profectu quantum longe distamus.* Sanctus Bernardus ita pariter de Evangelio loquitur: *Speculum veritatis nemini blanditur, neminem seducit; talis in eo se quisque reperiet, qualis fuerit, ut nec ibi timore trepidet, ubi non est timor, nec male lætetur cum male fecerit.*

Peccatores oportet arguere, eisque suam in Deum ingratitude, infidelitatemque exprobrare. Quo aptius modo, quam Evangelii verbis hæc omnia præstabimus? Vim quamdam, robur, & energiam Evangelica habent verba, qualem nulla sanctorum quorumlibet hominum verba possunt habere. Quamdiu homo cum homine loquitur, potest hic alteri resistere, & argumenta argumentis opponere; at Jesu Christi
voci

voci, qui per Evangelium loquitur, nullus hominum potest resistere.

Neque præcepta solum virtutis ac sapientiæ Evangelium docet, verum etiam ad altiorem sapientiam, perfectioremque virtutem assequendam consilia nobis suppeditat. Quis liber alius hanc assequendæ perfectionis viam docet, videlicet sua vendere, pauperibusque elargiri, Christum sequi, ejusque crucem ferre? *Sunt verba, (inquit sanctus Bernardus Serm. in hæc verba Ecce nos &c.) Ecce nos reliquimus omnia, quæ contemptum mundi in universo mundo, & voluntariam persuasere paupertatem. Hæc sunt quæ Monachis claustra replent, deserta Anachoretis. Denique Evangelium est mare (ait sanctus Ambrosius) in quo divinæ gratiæ plenitudo est; Evangelium est mare, de quo Martyr ascendit; Evangelium est mare, in quo Hebræus evasit, & Ægyptius submersus est. Recentiorum Casuistarum volumina tam ingentia mare quidem vocari possunt; sed ibi reptilia, quorum non est numerus (Psalm. 103.).*

C A P U T II.

*In Conciliis Moralis Christianæ sunt
quærendæ Regulæ.*

Post sacrarum Litterarum auctoritatem Ecclesia semper veluti suam regulam Traditionem est secuta, quæ in Conciliis & sanctis Patribus reperitur. Generalia Ethicæ Christianæ principia, quæ immutabilia semper sunt, sacræ Litteræ tradunt; sed cum augetur fidelium nu-

merus, & disciplinæ sanctitas, morumque innocentia per varios casus in deterius laberetur oportuit ut exorientibus malis Concilia mederetur, & ad tollenda, impediendaque crimina leges statuerent.

Apostolorum tempore Concilium Jerosolymis est habitum, quo tria disciplinæ morumque capita ordinata sunt: declaratum est circumcisionem non ultra esse necessariam, suffocatorum & sanguinis usus fuit veritus, similiter & fornicatio, quam esse licitam Ethnici putabant. Porro de singulis hisce capitibus id statuisse Apostoli asserunt, quod Spiritui sancto & sibi visum est: *Visum est Spiritui sancto & nobis (Act. 15.)*. Plures Canones eorum successores edidere, qui Apostolici dicti sunt. Antiquissima hæc est Canonum collectio, quamvis ad sanctum Clementem referendam illam non putem. Tertio aut quarto sæculo editam fuisse vero est similis. Hujus in Ecclesia tanta fuit auctoritas, ut ad suos stabiliendos errores horum Canonum aliquos hæretici corruerint, ut sanctus Epiphanius queritur; in iis nihilominus canonicum omnem ordinem contineri asserit.

Eorum statim in Oriente usus viguit, ut ex Theodoro discimus, qui Alexandri Alexandriani Episcopi narrat querimonias adversus Episcopos illos, qui Clericos, quos a sua ipse communione rejecerat, suscipiebant, contra duodecimum Apostolicum Canonem. Ad Cæsariensem Eusebium, qui Antiochenam Sedem recusaverat, Constantinus scribens illum laudat, quia Sedem noluit

noluit mutare, & Apostolicum Canonem decimumquartum, qui translationes hujusmodi vetat, adamussim servare maluit. Hasce ordinationes, veluti *præter Canonem* factas damnans Nicænum Concilium, ad hos fortasse Canones respexit; sicuti Canone quinto & decimo Apostolicos Canones duodecimum, trigessimum sextum, & sexagesimum secundum innuit. In Ephesino Concilio narratur, Antiochenum Episcopum Cypri Episcoporum ordinationes usurpare voluisse, contra Ecclesiasticas leges, & Apostolicos Canones, nempe trigessimumquartum & trigessimumquintum. A suo Episcopatu Imperator Theodosius Irenæum quemdam expulit, qui bigamus existens *præter Apostolicos Canones* ordinatus fuerat. Iisdem utitur sanctus Athanasius (*Epist. ad Orient.*) asseritque Georgium Cappadocem, qui Sedem suam usurparat, Canones ecclesiasticos violasse, tertium scilicet Apostolicum, quo depositionis pœna in eum pronunciatur, qui sæcularis potestatis auxilio ad Episcopalem cathedram conscendendam usus fuerit. Sanctus Basilius Diaconum, qui fuerat depositus, a communione non amovit; nam, inquit, antiqua regula, Apostolorum nempe canone vigesimoquinto, præcipitur, ne depositus alia pœna mulsetur.

Adversus horum Canonum auctoritatem objici potest, Gelasium Pontificem Decretali sua illos damnasse. Verum non ideo illos Gelasius damnavit, quia singuli errores docerent, sed quia Clementis Papæ nomen falso præferebant; præcipue vero propter postremos triginta sex, qui

nonnulla Romanis ingrata continebant, veluti Junii sabbathini prohibitionem. Propterea Dionysius Exiguus horum tantum quinquaginta Collectioni suæ inseruit; neque hunc hodie numerum excedunt. Libenter illos Ecclesia suscepit & eorundem auctoritate Joannes Papa II. Condemnatum Rejemsem Episcopum damnavit eosdem Cæsario misit, qui Synodo præerat, in qua Episcopus iste fuit depositus; hisque Cæsarius Canones addidit Gallicarum Synodorum Valentiniæ, Aurelianensis, Arausicanæ, Epauensis. Antiqua Galliæ Ecclesia vetere utebatur Collectione, quæ a Chalcedonensi Concilio probata fuerat, ut ab Agathensi Concilio discimus, cujus primus Canon ita loquitur: *In primis placuit, ut Canones & Statuta Patrum per ordinem legerentur.* Aurelianense primum Concilium vetera Statuta canonum servari jubet. Idem in Hispania fiebat, ut ex Braccarensi in Lusitania Concilio novimus. Martinus urbis ejusdem Episcopus novam Collectionem edidit, ut corrupta quædam latinæ versionis loca corrigeret, eamque in partes duas divisit. In prima illa exhibet, quæ ad Episcopos & Clericos pertinent; in altera quæ ad Laicos: probata hæc fuit in Synodo Galitiæ habita anno Domini 571. Galliarum quoque Conciliis Ecclesia Hispania utebatur; Synodus enim Tarraconensis anni 517 ait, Gallicorum Canonum Statuta in primis esse servanda.

Cum in Gallia Ecclesiastica disciplina esset corrupta, Pipinus Palatii Magister ut eam corrigeret, Zachariæ Pontifici dubia nonnulla proposuit.

posuit. Ad proposita dubia Zacharias septem & viginti capitibus respondit, quæ ex Abbatis Dionysii collectione deprompsit; & in quibus Apostolorum Canones, Ancyranos, Neocæsarienses, Antiochenos, Chalcedonenses, Africanos allegat, & Pontificum Siricii, Innocentii, Leonis, & Gelasii decreta. Collectionem hanc Carolo magno misit Adrianus I. illumque admonuit, ne unquam ab hac lege discederet, sed Statuta illa omnia servaret: quod quidem sua edens Capitularia per egit Carolus.

Adriani Papæ Capitula ad Carolum magnum missa inquirunt. *Ut laici contemptores Canonum excommunicentur; clerici vero honore priventur.* Canone vero 90. ita decernunt: *Item generali Decreto constituimus, ut execrandum anathema, & velut prævaricator cotholicæ fidei apud Deum reus existat, cuicumque Regum vel Potentum deinceps canonicam censuram in quocumque crediderit, vel permiserit violandam.*

Denique postremum generale Concilium, Tridentinum scilicet, antiquos omnes Canones renovat, qui ad Clericorum vitam pertinent, & honestatem, illosque sequendos decernit. Hinc ergo morum regula est sumenda, non a recentibus Casuistis, qui tantam in distributione redituum, in beneficiorum numero, eorumque officiis docent licentiam.

C A P U T H I.

Idem continuatur Argumentum.

Hoc sane pacto per sacros Canones Ecclesia regebatur, quorum executionem Episcopi zelabant,

labant, nec pro animarum regimine Casuisti
alios confulebant.

Caroli Calvi tempore Clerici plerique a propriis Episcopis damnati, quia contra Canones firmas secum habuissent, Metropolitanis suis in secessu Romam petierunt, & citationes a Pontifice obtinuerunt adversus Episcopos suos, aut eorum Vicarios. Galliae Episcopi novitati huic obstiterunt, eorumque nomine Carolus Joanni VIII longam dedit epistolam eorundem querelis respondens. In hac post expositam veterem disciplinam Canonibus firmatam, haec verba subiungit: *Hæc igitur servemus nostris temporibus tantum gratius, quanto & Ecclesiae & imperio erit capere; & servando quæ legaliter ac regulariter gesta sunt, rata esse faciamus quæ legaliter ac regulariter gesserimus.*

Adeo olim Pontifices Canonum observantiam zelabant, ut in Sancti Joannis Chrysoستيomi contra canones damnati negotio Innocentius I. memoranda hæc verba protulerit: *Nam longe præstiterit vel ea condemnare, Fratres, carissimi, quam ea recte facta sunt, quam ea robur velle sortiri, quam adversus Canones gesta sunt.*

Zosimus Papa in sua ad Arelatensem & Vienneensem Episcopos epistola ita loquitur: *Apud nos inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui statuta Patrum sanxere reverentiam.* Et in epistola ad Africae, Galliae, Hispaniaeque Episcopos inquit: *Cum adversus Patrum statuta venit, non tantum illorum prudentiae atque sententiae, quæ in ævum victura sanxerunt, sed ipsi quodammodo*

dei & catholicæ disciplinæ irrogatur injuria. Quid enim tam sanctum ac venerabile est, quam penitus non exorbitare ab itinere Majorum, quorum Canonica Instituta velut quædam fundamenta sunt ferendis fidei jacta ponderibus?

Magnus Pontifex Leo de Nicæni Concilii decretis loquens, quæ ad Patriarcharum distinctionem & ordinem pertinent, ait: *Nulla possunt probabilitate convelli, nulla novitate mutari. In quo opere fideliter exequendo necesse est me perseverantem exhibere famulatum, quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum me, quod absit, connivente, violentur.* Eadem reperit in epistola ad Chalcedonensis Concilii Patres; seque exatum semper ac fidelem catholicæ Fidei, & paternarum Traditionum custodem futurum promittit.

Hilarius ejus successor cum Auxanio Cemeli Episcopo nonnulla concessisset quæ Ingenuo Ebrodunensi Metropolitano oberant, apud eundem Hilarium hic conquestus est, qui tribus Galliæ Episcopis negotii hujusce cognitionem mandavit. En Pontificæ epistolæ verba: *Ita vestræ caritati cognitionem adnexæ querimonie deligimus, ut nihil adversum venerandos Canones valeat, quidquid obreptum nobis esse constiterit. Nolumus namque Ecclesiarum privilegia, quæ semper sunt servanda, confundi, quia per hoc non minus in sanctarum Traditionum delinquitur sanctiones, quam in injuriam ipsius Domini profilitur.*

Gela-

Gelasius Papa Romanam Sedem Canonum præcipue custodem esse testatur: *Cum nobis inquit, contra salutarium reverentiam regularum cupiamus temere nihil licere.* Idem quoque in epistola ad Dardaniæ Episcopos affirmat; *Confidimus quod nullus veraciter Christianus ignorat uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quam primam, quæ unamquamque Synodum & sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit.*

Symmachus Pontifex ad Aeonium Arelatensem Episcopum scribens idem asserit: *Dum ad Trinitatis instar, cui una est atque individua potestas, unum sit per diversos Antistites sacerdotium, quomodo priorum statuta convenit violari? Huc accedit, quod si hæc eveniat sententiarum varietas, ad ipsam sacrosanctam credimus Religionem pertinere, cujus omnis potestas infringitur, nisi universa, quæ a Domini sacerdotibus semel statuantur, perpetua sunt.* Ait summos Pontifices, & Canones violari permitterent, a Deo acceptam pro Ecclesiæ regimine auctoritatem pessumdatores. Non adeo tamen stricte hoc est intelligendum, ut numquam iis liceat ab jam editis Canonibus recedere; temporum enim & personarum mutatio exigit, ut mitius aliquando interpretentur, aut ab eisdem dispensatio fiat. Neque in dubium est revocandum, summum Pontificem, cui Canonum executio præcipue commissa est, posse quandoque ab iis dispensare; verum oportet ut id pro Ecclesiæ bono fiat, pro animarum salu-

salute, & ex convenienti ratione, cum non in destructionem, sed in Sponsæ suæ ædificationem auctoritas sit illi a Christo tradita. Id sibi esse faciendum Leo IV. ita significat: *Ideo permittente Domino Pastores hominum sumus effecti, ut quod Patres nostri sive in sanctis Canonibus, sive in mundanis affixere legibus, excedere minime debeamus.* Contra eorum quippe saluberrima agemus instituta, si quod ipsi divino instituerunt consilio, intactum non conservamus. (Can. quod vero. 23. d. 2.) Apud Yvonem Carnotensem (Part. 4. & Ep. 6.) & apud Gratianum fragmenta habemus professionis fidei, quam in consecratione sua Pontifices olim præstabant, in qua Prædecessorum suorum Statuta, & antiquos Canones promittebant servaturos.

Casuistæ, quos insectamur, sacrorum Canonum jugum excutiendi miram invenere rationem, dum ajunt abolitos jam illos esse, & in desuetudinem abiisse, Ecclesiamque nunc novam sequi disciplinam; hocque jaçant axioma, *Per desuetudinem Leges abrogari.* Hinc ecclesiasticæ corruptioni lata aperitur via, & morum licentiæ. Quamobrem diligenter mihi hæc quæstio est examinanda.

Observandum est primo inter ecclesiasticas Leges, pure cæremoniales nonnullas esse, & alias mere positivas, quæ Fidelium mores moderantur. Hæ pariter bifariam partiuntur; aut enim novam obligationem inducunt, aut id solum præcipiunt, quod naturalis juris est & divini. Cæremoniales leges profecto mutari possunt, & mutata

tatæ sunt; defuetudo abolere illas potest, & juxta sanctum Augustinum (*Epi. ad Jan.*) servari illas decet, quæ in singulis vigent Ecclesiis. At Leges, quas prisca Concilia sanxerunt, quæ illa præcipiunt, quæ divini aut naturalis sunt juris, aut Evangelii principiis sunt convenientia, defuetudine, vel contrariis moribus aboleri nullo modo possunt; tunc siquidem mos pravus, antiqua corruptio juxta Sanctos Patres censendus est. Porro hujusmodi Leges, talesque Canones antiqua sanxere Concilia, quæ Fidelium mores correxerunt. Hos sanctus Leo (*Epi. 89.*) ejusque successores Pontifices appellant *Canones spiritu Dei conditos, & totius Orbis reverentia consecratos.* Novissimum Tridentinum Concilium perspicue ait, se veterum Conciliorum canones de vita & honestate clericorum renovare, & variis in Sessionibus iisdem se inhærere dicit. Non sane hi Episcopi putabant Canones defuetudine aboleri: hanc defuetudinem Ecclesiæ malam existimabant; cui malo haud aptius remedium allaturos se putabant, quam statutas tam sancte regulas ad robur pristinum revocare. Optat jugiter Ecclesia veterem denuo statuere disciplinam, quæ fideles a peccatis coercebat, & rigido pœnarum fræno a gravioribus retrahebat delictis.

Malam consuetudinem in medium afferre non oportet, cum hæc legi divinæ adversantem ætignem excusare non possit. Præstat imo interdum consuetudinem licet passim ab Ecclesia servatam relinquere, ut veterem morem iterum amplectamur. Exempli gratia: Quadragesimæ die-

diebus olim fideles semel tantum cibum sumebant, idque fiebat vespere. Tempore Sancti Thomæ tribus post meridiem horis cibus sumebatur. Bellarminus aperte ait, posse quemlibet, si velit, laudabiliter antiquum, servare jejunium.

Consuetudinem fugiamus, ait Clemens Alexandrinus, (*Orat. advers. gentes*) veluti difficilem scopulum, aut periculosam charibdim, aut fallacem sirenem: hæc hominem suffocat, a veritate illum avertit, a via abducit: hæc laqueus, hæc abyssus est. Malus est ventus consuetudo, inquit Sanctus Cyprianus: veritati & rationi hæc debet cedere, quibus est postponenda: peccatum consuetudo auget, & sine veritate antiquus est error.

Suessionense tertium Concilium ait: *Mala consuetudo, quæ non minus quam perniciose corruptela vitanda est, nisi citius radicitus evellatur, in privilegium juris ab improbis assumitur, & incipiunt prævaricationes & varicæ præsumptiones celerrime non compressæ pro legibus venerari.*

CAPUT IV.

Ejusdem Argumenti Continuatio.

Si in temporali regno, quod mutationi subjacet, adversus fundamentales leges malæ nequeunt præscribere consuetudines, quamvis legum violatio passim dominari videatur; quomodo in Ecclesia, in qua nullæ sunt vicissitudines, Christianorum cupiditas, malitia, & impænitentia pro eorum correctione edita Statuta poterunt abolere? Hæc contemni jugiter Ecclesia dolet, & de

Godeau Theol. Mor, Pars I.

F filiis

filiis Belial, qui ferre jugum recusant, conqueritur. Verum illos sæpenumero Christus eidem dedit Episcopos, qui veterem denuo disciplinam pro sæculi sui conditione stabilire curarunt. Pulchra hæc Joannis VIII. Pontificis verba secum reputarunt: *Enimvero Sacerdotes non ad gratiam, sed ad pompam immerito dici cognoscimus, si quos docere nobis convenit, sequi contendimus.*

Talis elapso sæculo erat magnus Sanctus Carolus Borromæus. Episcopali spiritu a Deo repletus miram in ecclesiasticis negotiis habebat dexteritatem, zelumque pro domo Dei vehementem. Novum in eo exemplar apparuit, Pontificis nepos, summo loco natus, divitiis affluens, dignitate conspicuus, qui neque divitias neque dignitates amavit, sed Ecclesiam unice diligebat. Pium IV. avunculum suum hortatus fuerat, ut Tridentinum Concilium prosequeretur, & ad optatum finem adduceret. In eo non omnia, ut oportebat: exacte sunt definita; sed tempori ferendum fuit. Finito vix Concilio, ejus exacte Canones sibi servandos Sanctus Carolus proposuit, veteremque disciplinam in suam Provinciam pro virili reducendam. Conciliis suis provincialibus, Synodis, crebrisque Visitationibus id præstitit. Hinc Mediolanensi Ecclesiæ & Provinciæ nova extemplo facies: abolitorum Canonum usus est innovatus, & antiquorum temporum pietas resloruit. Presbyteri, Clerici, Religiosi, & Laici, quos corrigere satagebat, ea proferebant, quæ recentiores plerique Casuistæ proferunt, antiquos Canones esse abolitos, nec posse modo homi-

homines illorum ferre severitatem. Id ipse declarat in Allocutione, quam in secundo suo provinciali Concilio habuit: *Nec vero populares illæ, quibus quasi ficus foliis deformes pravique mores contegi solent, voces audiantur: Non ferunt hæc tempora veterum Canonum severitatem: Sic jam diu vivimus: Sic vixerunt, ita egerunt qui ætate antecesserunt, vitæ institutum nihil est quod mutemus: At nos hæc atque adeo alia ejusmodi contemnimus.* Atque hæc revera strenue adeo contempsit, ut Statuta quæcumque stabilierit, quæ ad tollendas corruptelas, in populi sui mores paullatim illapsas, opportuna judicavit. Plures edidit instructiones, ut ea corrigeret, quæ ad Dei cultum pertinent; sed locum illæ primum obtinent, quas suæ diœcesis Sacerdotibus proposuit, ut Pœnitentiæ sacramentum rite administrarent. Hisce antiquorum Canonum pœnitentialium collectionem addidit, ut ex istis satisfactionum, quæ pœnitentibus imponerentur, norma peteretur, non ut exacte omnino hi servarentur, sed ut nimia, quæ invaluerat, facilitas compesceretur, & justum, sanctumque veterem inter severitatem, & novam indulgentiam moderamen servaretur.

Magni hujusce Archiepiscopi exemplo Episcopi alii excitati provincialia plura habuere Concilia in Italia, in Gallia, & in Hispania; juxtaque veteres Canones, & ecclesiasticam disciplinam restituere conati sunt, quoad illorum temporum infelicitas pati poterat. Gallicani Cleri synodus anni 1655. Sancti Caroli Instructiones & Canones imprimi voluit, & per Diœceses distribui:

Parochis suis & Confessariis horum observantiam Episcopi plerique præcepere.

Haud illico hæc Canonum desuetudo invaluit Christianorum frigescente paullatim caritate, & incrementibus vitiis, sanctæ hæ regulæ, ad fidelium regendos mores institutæ, paullatim sunt abolitæ. Verum quolibet Ecclesia tempore hasce regulas factas rectas servare studuit; & viri pietate ac doctrina illustres ab usum, de quo conquerimur, condemnarunt. Quomodo igitur affirmari potest, Ecclesiam pro Casuistarum doctrina, de qua loquimur, eam tolerantiam, indulgentiamque habuisse, quæ formalis consensus censeretur? Observare insuper oportet, hanc desuetudinem vel secretam fuisse vel publicam. *Secreta* exempli gratia in administrando Pœnitentiæ sacramento potuit reperiri, in quo inter confessarium & pœnitentem dumtaxat cuncta peraguntur. Quomodo scire potest Ecclesia, utrum Confessarius canones sequatur, an negligat? Præcipere quidem possunt Episcopi suæ dioceseos confessariis, ut pœnitentibus in quibusdam casibus absolutio- nem vel differant, vel negent, quemadmodum fecit Sanctus Carolus; verum hæc iussa exequi pendet a confessariorum fidelitate. Circa *publicam* desuetudinem advertendum est, an adeo sit publica, ut communis sit toti Ecclesiæ; etenim si veteres Canones palam a plerisque servantur, nequit aliorum numerus eosdem abolere, dum in aliquibus prisca viget disciplina. Jam vero plures semper in Ecclesia vixere, qui ejusdem Canones servarunt.

Parisiense sextum Concilium anno Domini 829. habitum ita circa hanc quæstionem diserte loquitur: *Quorundam perversissimæ consuetudines, propriæque voluntates multimoda adinventione contumaciter, quod valde periculosum est, efficiunt ut opera fidei magna ex parte negligantur; qui dum legis divinæ transgressores existunt, easdem consuetudines sibi legem faciunt, & secundum eas se vivere absque sui discrimine, & posse & debere contendunt, sua quærentes, non quæ Jesu Christi. Quod quantum Auctoritati divinæ contrarium sit, aut non advertunt, aut saltem animadvertere detrectant: quantum etiam ob hoc Religio christiana in eis periclitetur, facile qui sapit advertit. Quapropter uniusquisque fidelis, si salvus esse vult, oportet ut remotis perversis consuetudinibus, quæ periculum animarum generant, fidem Christi, quam percipit, bonis operibus exornare non negligat.*

Si Concilium modo haberetur, aliterne de pravis, quæ irreperunt, contra Canones consuetudinibus esset loquendum? Ecclesia, ait Sanctus Augustinus, inter paleas & zizania constituta multa tolerat; sed ea neque probat, neque operatur, quæ fidei vel bonis moribus adversantur.

C A P U T V.

A Sanctis Patribus Moralis Christianæ sunt discendæ Regulæ.

In suis regendis filiis sanctos etiam Patres, quorum Scriptis illustratur ac locupletatur, Ecclesia duces sequitur. Eorum in fidei controversiis

auctoritatem omnes fatentur: recentes dumtaxat
 hæretici hanc negant. Quare autem quemad-
 modum doctrina, ita & disciplina a sanctis Patri-
 bus non hauriatur? Quare in tam necessario re-
 gendorum morum officio Traditio deficiat? Si in
 fidei tradendis dogmatibus non errarunt sancti
 Patres; numquid in iis tradendis regulis erre-
 runt, juxta quas Fidelium mores instituerentur?
 Profecto ingenii sui inventa haud tradiderunt,
 sed recentiores veterum sententias sunt secuti, &
 veteres ab Apostolis, vel eorum successoribus,
 quæ alios docebant, didicere. In tertio, quarto,
 & quinto sæculo eadem patrabantur peccata, in
 quæ modo Christiani prolabantur: usurarii tunc
 vivebant, simoniaci, homicidæ, fures, & impu-
 dici; numquid ut eorum impænitentiam fove-
 rent, recentiorum Casuistarum more Canones
 mutarunt, aut mitius interpretati sunt Episcopi?
 An intentionis directionem, aliasque nugas ex-
 cogitarunt, ut jam non esset peccatum, quod
 olim peccatum erat, quemadmodum Dianam lau-
 dabiliter fecisse narrat Caramuel? Qui primis Ec-
 clesiæ sæculis ad Cælum via erat, novissimis istis
 an Cæli via non est Christus? vel uno tunc mo-
 do, alio nunc via est? Affirmare tamen novi Do-
 ctiores non erubescunt, morum doctrinam non
 esse a sanctis Patribus petendam, imo vero novos,
 ubi de moribus, consulendos Auctores. In vete-
 rum lectione tempus se terere noluisse gloriatur
 Caramuel, & sane ab hac illum lectione abstinuisse
 scripta ejus declarant. In tam absurdos, ridiculos,
 a communi sensu remotos, atque a philosophiæ
 & religionis principiis, alienos errores profecto
 non

non incidisset, si attente Veterum lectioni incubuisset. Quam ille nobis exhibet, haud casta est & immaculata Christi sponsa Ecclesia; sed inverecunda Babylon, purpura induta, vultum fucoco minioque delinita, veneno plenum calicem propinans, quo orbem inficit universum. Nonne hujusmodi Casuista Scripturæ minas jure timebit, quas in ejusdem farinae homines prolatas asserit sanctus Hieronymus: *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ?* Venerabilis est ista senectus, & rugæ sanctæ, ac decoræ. Augustini librum de catholicæ Ecclesiæ moribus, aut sancti Gregorii de Cura pastorali cum recentiorum Casuistarum libris compara, qui de moribus agunt: si veritati habendus est honor, vel nisi oculos nobis eruimus, aut cæcitate Deus nos punit, dices profecto adeo inter se libros hosce distare, quam ab honesta & pudica virgine mulier effrons & inverecunda; in veterum enim libris Dei spiritus cælestisque sapientia cernitur, in Casuistarum vero libris mundi spiritus & humana ratio. Quod de sanctorum Augustini & Gregorii libris dico, idem de reliquis sanctis Patribus asserere licet, quorum scriptis solidus cibus continetur, non illusiones vel nugæ ab ingeniis natæ, quæ Evangelii spiritu, quo Veteres abundant, omnino carent.

Haud frustra, inquit sanctus Gregorius magnus, debebat Pontifex duodecim Patriarcharum nomina in suo Rationali semper gestare; nam Patrum nomina in pectore semper gestare, est

eorum actus jugiter meditari; & tunc Doctor sine reprehensione operatur, cum veterum Patrum exempla jugiter respicit, & Sanctorum vestigia semper considerat.

Generalia Concilia, quæ jam attulimus, aliaque plura quæ afferri possent, *Sanctorum regulas* sectari se affirmant.

In Moguntino Concilio anno 813. habito tres aderant personarum ordines, quorum primi erant *Episcopi legentes & tractantes sanctum Evangelium, necnon Epistolas & Actus Apostolorum, Canones quoque ac diversa sanctorum Patrum opuscula.*

Synodus Lemovicensis hæc aurea verba proferit: *Observandum nobis magnopere est ante omnia & super omnia, uti mandatum Dei, & non nostras traditiones populo observandas tradamus, & nihil nisi Scripturarum divinarum auctoritate fultum statuamus agendum, nihilque de cordibus nostris, nihil extra præceptum Domini & sanctorum Patrum (quod absit) constituere, docere, vel jubere præsumamus.*

Leo I. Papa e sacris Litteris sanctisque Patribus responsa sumebat, quæ propositis difficultatibus daret. *Frequentur quidem, ait, in diversarum quæstionum ambiguo fratrum corda titubantia spiritu Dei instruente solidabimus, responsionum formas vel ex sanctarum Scripturarum disciplina, vel ex Patrum regulis colligentes.*

Adrianus II. in suo, quod in VIII. Concilio lectum est, scripto inquit: *Prima salus est rectæ fidei*

fidē regulam custodire, deinde a constitutis Dei, & Patrum nullatenus deviare. Unum quippe horum ad fidem pertinet, alterum ad opus bonum.

Gregorius VII. ad Henricum Regem scribens ait: *Ad sanctorum Patrum decreta doctrinam recurrimus, nihil novi, nihil ab inventione nostra statuentes.*

Nicolaus II. Pontifex in sua ad Hincmarum Rhemensē epistola inquit: *Ridiculum est & satis abominabile dedecus, ut temporibus nostris vel falso insimulari sanctam Dei Ecclesiam permittamus, vel leges sanctas & traditiones, quas antiquitus a Patribus nostris suscepimus, pro libito semper errantium infringi patiamur.*

Tridentinum Concilium sessione quinta, ubi de disciplina non minus quam de doctrina agit, cum de doctrina dixerit: *Sacrarum Scripturarum, & sanctorum Patrum, ac probatissimorum Conciliorum testimonia secuta* (Synodus) *hæc statuit ac declarat: nonne de disciplina agens inquit: Pius summorum Pontificum, & probatorum Conciliorum constitutionibus inhærens. easque amplectens.* En! quomodo hæc sancta Synodus sacrarum Litterarum auctoritati sanctorum Patrum auctoritatem adjungit. Ecquis deinceps dubitare poterit, num ex salutaribus hisce fontibus Ethica Christiana sit petenda? Ecquis tam cæcus, ut ignobilium Casuistarum turbam illis anteponat (a)?

San-

(a) Anteposit tamen Caramuel, alique Casuistarum modernorum gregales. Quibus sententiam dixit

Sanctus Carolus, qui in cogendo ac finiendo hoc Concilio adeo laboraverat, atque tam exacte Canones ejusdem servavit, in Oratione, quam in primo suo provinciali Concilio habuit, potentius nullum remedium agnovit ad mala cohibenda, quibus Ecclesia afflictabatur, quam veterum Canonum observantiam. Ecce ejus verba: *Morum autem disciplinam facile restituemus, si qua ratione quibusve factis primum constituta, denique conservata est, eandem nos in restituenda adhibemus, illorum vestigia prosequentes, qui hanc bonorum amplitudinem nobis Deo Auctore pepererunt. Proponamus nobis, quaeso, Patres, illorum vitae sanctitatem, & in administratione sui officii sapientiam.* A novis hisce Casuistis peto, quomodo recte vivendi regendique animas potest
iniri

Clerus Gallicanus 1700. istam P. Moya damnans propositionem n. 117. *Puto omnia esse hodie melius examinata, & hanc ob rem in omni materia, & praecipue in morali libentius juniores, quam antiquiores lego, & sequor - - - Doctrina fidei a veteribus; doctrina morum magis a junioribus petenda.* Censura Episcoporum talis erat: *Hæc propositio temeraria est, scandalosa, perniciofa, erronea, SS. Patribus, & antiquis Doctoribus contumeliosa; spreta in moribus Christianorum componendis necessaria Scripturarum, ac Traditionis auctoritate, & interpretatione, moralem Theologiam arbitrariam facit, viamque parat ad humanas traditiones, & doctrinas, Christo prohibente, stabiliendas.* Nedum Dogmata sed & Mores ex Scriptura & SS. Patribus disci oportere præter nostrum Godeau Alexander Nat. Concina, Genetus Ep. Vasionens. Elizalde aliique illustres Moralistæ re ipsa ostenderunt,

iniri ratio, quam sancti Patres inibant, nisi eorum legantur scripta, quibus populos docent, vel corrigunt, aut proposita dubia expediunt, aut opportune varia singulis præbent consilia. Sancti Augustini, vel sancti Gregorii Magni epistolas legere sufficit, ut pura morum disciplina reperiatur, & vera conscientiae casuum solutio, quos novorum Casuistarum plerique ita explicant, ut vitæ periclitetur innocentia, quam pro virili tueri debent.

Galliæ Episcoporum Meloduni habita Comitia anno 1579. hisce verbis Prælatos omnes hortantur: *Hortamur ergo, & vestram in Domino fraternam obsecrans caritatem, ut vestri semper, gregisque vobis a Domino commissi memores, ex sacris Bibliis, Ecclesiæ universalis Constitutionibus, ac Patrum testimoniis observationes suscipiatis.* En Episcopi omnes ad sanctos legendos Patres excitantur, ad mores suos juxta illorum monita componendos, & ad hinc petendam regiminis vitæque normam. Et novi Doctores sine fama, sine experientia, sine auctoritate, absque scientia illos aspernabuntur, ab illorum lectione alios avertent, aliamque conscientiarum regendarum viam inibunt? Temeritas hæc est non ferenda; imo vero cæcitas est sanguineis potius lacrymis deflenda, quam adversus illam ejusque pericula, declamandum. *Nolo plura dicere (inquit sanctus Augustinus) de re tanta; quia melius eam committo fidelium gemitibus, quam sermonibus meis.*

Deni-

Denique ut hunc de probabilitate Tractatum
finiam, quem hisce temporibus maxime necessa-
rium existimavi, verbis vos alloquor, o Ani-
marum Pastores, Directores & Confessarii! que
olim per Prophetam Deus Judæis est locutus:
*Hæc dicit Dominus: State super vias, & videte,
& interrogate de semitis antiquis quæ sit via bona,
& ambulate in ea, & invenietis refrigerium ani-
mabus vestris, Jerem. 6.* Ne sequamini novos
duces, qui sectatores aucupant; post illos eun-
tes errabitis, & in præcipitia cadetis. A Deo
acceptos duces sequimini, sacras nempe Litte-
ras, & sanctorum Patrum libros.

